M Sebastiani Skjenter
Col Mautt: mp

EPHEMERIDUM NOVARUM ET MOTUUM COELESTIUM.

AB ANNO M.DC.LI. ad M.DC.LXV.

PARS TERTIA,

Quæ Meridiano Vranopyrgico in freto Cimbrico, ſedi Aſtronomiæ inſtauratæ, & in inferioribus Planetis nempe Venere ac Mercurio, Tabulis Rudolphinis JOHANNIS KEPPLERI; at in Luminarium motibus, Eclipſibus eorundem & ſuperioribus CHRISTIANI S. LONGOMONTANI Tabulis Danicis accommodata & liberiori paulò calculo computata eſt

à

LAURENTIO EICHSTADIO,

Med. D. & Phyſico ordinario in vetere Stetino Pomeranorum.

CUM CENTUM APHORISMIS de Judicijs Genethlicais.

CUM GRATIA ET PRIVILEGIO S. R. M.

DANTISCI,

Apud ANDREAM HÜNEFELDIUM,

ANNO M. DC. XLIV.

[illegible]

NOVARUM ET MOTUUM COELESTIUM.

[illegible]

PARS TERTIA.

Quæ Meridiano U[illegible] in freto Cimbrico, sed A[illegible]

tibus Planetis nempe Venere ac Mercurio, Tabulis Rudolphinis JOANNIS KEPPLERI; at in Luminarium motibus, Eclipsibus eorundem & superioribus CHRISTIANI LONGOMONTANI Tabulis Danicis accommodata, liberiori paulo calculo computata est

à

LAURENTIO EICHSTADIO

Med. D. & Physico ordinario in vetere Stetino Pomeranorum.

[illegible]

de Judiciis Genethliacis.

CUM GRATIA ET PRIVILEGIO S. R. M.

DANTISCI,

Apud ANDREAM HÜNEFELDIUM.

[illegible]

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, ET
AMPLISSIMIS DOMINIS

CONSULIBUS AC SENATVI INCLYTÆ Reipub. Dantiscanæ,

Dominis suis submissè colendis Salutem plurimam dicit

Laurentius Eichstadius Med. D.

NON sum nescius tertiam Ephemeridum partem edens, fore, MAGNIFICI, ET AMPLISSIMI DOMINI, ut hic meus labor in varias hominum reprehensiones incurrerit. Nam quidam supervacaneam hanc operam & à professione mea alienam, vel quia inter occupationes medicas practicas, assiduosq; officii labores suscepta est, imperfectam, rudem & impolitam diligentiam existimabunt: Nec deeruns alii, qui etsi hoc vulgare meum & Academicum scribendi genus non omninò contemnent: tamen me ma/us operæ pretium facere potuisse contendent, si hujus Astronomicæ lucubrationis loco aliquid potius in scientia naturali (quam Physicam dicimus) aut in Arte Medica studio, instirutione, meditatione & exercitatione longà conquisitum, ceu dignum quid professione JatroPhysici, evulgassem- Sed hisce me respondendo facturum satis confido, si scribendi institutum aperuero, & vobis, VIRIS MAGNIFICIS, caussam

 meam

meam probavero. Certè, si ego tempus quod alienæ valetudinis curationi debeo, in dinumerationem motuum Planetarum conferrem, culpâ minimè vacarem. Quando verò non aliis horis hæc ago, quàm quibus à publico vocationis meæ munere & privatis amicorum officiis mihi feriari licet, quasq; alii vel otio, vel luxui, vel aleæ, vel aliis hilaritatibus impendunt, quis amabo jure labores meos ingenuos vituperabit? Admonitus enim sum sedulò, & maturè tum privatim tum publicè à celeberrimo quondam Physico, Astrologo & Medico *D. Davide Herlicio*, amico & compatre, dum vivebat, mei amantissimo, ut qualescunq; studiorum conatus non tantùm ad Medicinam, sed & ad Mathesin, & hasce scientiæ sapientiæq; literulas, in quarum sinu Physices & Medicinæ robur olim crevit, diligenter referrem & munificentiâ Illustrissimorum Ducum Pomeraniæ (qui heu fuerunt!) gauderem aliquandò. Cohortationi paternæ tanti viri morem gessi, & in patria anno æræ Christianæ supra millesimum sexcentesimum undecimo & sequente *M. Christophoro Hunichio*, Excellenti Mathematico ac Rectori illustris nostri Pædagogii id temporis (cujus institutione antehac etiam Lipsiæ Clarissimus vester Mathematicus *M. Petrus Crügerus* piæ memoriæ fuerat usus) docilem animum, auresq; præbui, & ex eo Arithmetices, Sphæricæq; doctrinæ elementa hausi. Postea in Gryphis-Waldensi Pomeraniæ Academia anno tertio decimo sub Eximio Matheseos Professore ibidem pro tempore *D. Mœvio Volschovio*, hodieq; superstite, audiendo prælectiones ejus & disputando in curriculo Mathematico me exercui. Dehinc anno quarto decimo me in florentissimam Academiam Witebergensem contuli, & me in disciplinam Egregio tunc

Mathe-

Mathematum superiorum Professori *D. Ambrosio Rhodio* tradidi. Didiceram enim ex lectione *Operis Palatini de Triangulis* hanc Universitatem, præter claros in omni doctrinarum genere Viros semper etiam Præstantes Mathematicos habuisse, è quorum numero *M. Erasmus Reinholdus*, *Tabularum Prutenicarum conditor*, & qui ei successerunt *Georgius Joachimus Rheticus*, vir in Mathesi incomparabilis, *Copernici*, quondam Discipulus, & *D. Caspar Peucerus*, fuêre. In Academia Ienensi anno sexto decimo *Dn. Hoffmanni*, isthic Mathematici, pædiâ & usu Octantis, Instrumenti ipsius, fruitus sum. Tandem anno nono decimo & sequente Celebri Mathematico Francofurtensi *M. D. Origano* innotui, qui in erudito pulvere Mathematico porrò mecum aliquot gratas ambulationes confecit. Sub his Ducibus, accedente quoq; privatâ mea exercitatione hoc assecutus sum, ut in Geometria Elementa Euclidis & doctrinam Triangulorum cognoscerem & praxin in metienda terra & corporib⁹, motibusq; cœlestibus inirem. Hanc quippe scientiæ Mathematicæ particulam per Astronomo necessariam esse docet dignum Nobilissimi Astronomiæ instauratoris *Tychonis Brahei* elogium, quo ipsam ornavit, teste *C. S. Longomontano in Præloquio Astronomiæ Danicæ*. Ita enim de hac cecinit:

Cuncta Trigonus habet, satagit quæ docta Mathesis:
Ille aperit, clausum quicquid Olympus habet.

Astronomiæ quoq; Opticam partem (quæ rectas curvasq; lineas vel planas superficies, easq; aut rectilineas aut circulares, quatenus sub aspectum cadunt, considerat) sub his Præceptoribus comprehendi, & publicis exercitiis lectionem domesticam *Paralipomenon ad Vitellionis Opticam Keppleri* adjunxi, suumq; novi-

ter reperti in Dioptrica Instrumenti, nempe Tubi Optici, in detectione novarum stellarum, macularum Solarium & vera facie apparitioneq; siderum non sine singulari animi voluptate percepi. Quum igitur in doctrina Sphærica & Theoria Planetarum ex doctissimo *Commentario Erasmi Reinholdi super Purbachium* nec non in calculo motuum Planetarum ex *Tabulis Prutenicis Tychonicisq;* nonnullos progressus fecissem, præfatas illas & intemeratas Matheseos partes, Arithmeticam, Geometriam & Opticam dico ad nobilissimæ Astronomiæ de cœlestium corporum motibus doctrinam aditum patefacere & ad intima ejus penetralia ducere intellexi. Proinde ascitis his utilissimis laboris Astronomici sociis & inspectis fundamentis & demonstrationibus in *Tabulis Rudolphinis ac Danicis* motuum stellarum qui exquisitis observationibus Cymbrici illius Atlantis *Tychonis Brahei* innituntur propositis, eas in faciliorem methodum redegi, post Ephemeridas ex iis computavi & jam in quindenos annos evulgavi, rursusq; totidem annorum abacum in publicum affero. Quandoquidem honorificum & ornamento Physico esse censeo, si diversis Rebuspubl. edendis Ephemeridibus & Calendariis annuis prodesse possit, quibus sublatis confusionem in Ecclesia, Judiciis, contractibus & omnibus vitæ humanæ generibus subsecuturam certum est. Quid sit tempus, disputant Physici. *D. Augustinus* quidem *libro Confessionum undecimo capite quarto decimo* ita scribit: *Quid ergò est tempus? Si nemo ex me quærit, scio. Si quærenti explicare velim, nescio.* Et postquam multa de natura temporis acutè subtiliterq; disseruerat, ad extremum in vestibulo *quinti & vicesimi capitis fatetur, se, quid sit tempus, nescire.* Quæ magna tanti Ecclesiæ Doctoris modestia magnam

mere-

meretur laudem. At si tempore hujus augusti Patris ejusmodi Ephemerides, quales nunc sunt usitatæ, fuissent, forsan ipsum meliùs in ratione temporis instruere & docere potuissent, tempus esse mensuram seu motum secundum priores posterioresq; Solis, in Astronomicis fastis expressi, partes in ortu, meridie, occasu, iterumq; in ortu, & sic consequenter. Proinde sine motuum Solis & reliquorum Planetarum usu, numero, calculoq; cassus est cognoscendi temporis labor. Etenim ex quolibet Solis circuitu ab ortu in occasum consurgunt dies, & ex diebus supra trecentos sexaginta quinq; & quartâ ferè diei parte integra Solis periodus in Signifero & annus existit, cujus unius post alterum quantitas in Ephemeridibus ostenditur. Hanc anni rationem uno disticho Poëta ingeniosissimus *lib. 3 Fastor. vers.* 264. complexus est; ita canens:

Is decies senos trecentum & quinq; diebus
Junxit, & è pleno tempora quarta die.

Et apud *Lucanum lib. X. Pharsalid. vers.* 187 à C. Julio Cæsare in Convivio Cleopatræ ejus fit mentio:

Non meus Eudoxi vincatur fastibus annus.

Præterea nec Medicum dedecet Astronomiam rimari, eò quod tot tantiq; Medicinæ Principes in hac parte Philosophiæ & in universa Mathesi fuerint exercitati. Hinc *Hippocrates*, maximus Medicorum, *libro de aëre aquis & locis, atq; optimus ejus interpres Theod. Zvingerus* sideralis scientiæ usum esse maximum in Medicina ostendunt: quandoquidem pro anni constitutione corpus humanum variari ipsa docet experientia. Huic astipulatur *Galenus*, optimus medendi artifex, *sub finem tertij libri de spermate*, ubi docet, quod Medicum scire deceat Planetam &

signum

signū, in quo æger ægrotare cœperit, quodq; tota criseos doctrina Lunæ motu innitatur. Quin & *Avicenna*, inter Arabes eminentissimus Medicus, *in 43 Canone Cantici* scribit: *Caussa Criseos est Luna, & ea variat actionem in morbis.* Et *Canone 45* hæc subjungit: *Jam quidem peragrat & ascendit celeriter circulum suum, & est causa celeris motus & mutationis: Intenditur quidem in hoc interdū & interdū debilitatur.* Quod si crebræ observationes profluentiæ siderum in hominem accesserint, tandem scientia confirmatur experientiâ fidâ, quæ ad plurimarum rerum exactam cognitionem apprimè necessaria est. Nam rectè *Philosophus lib. 10 Ethic. cap: 4. qui rempublicam*, inquit *gerunt experientiâ potiùs, quàm mente id faciunt, & Medici non ex libris*, sed ab experientia *fiunt*. Verissimè enim *Plinius lib. 17 natur. histor. c. 3* dixit: *optimè experimentis credi.* Quocirca quum ex hujus divinæ Artis sublimitate in qualicunq; praxi mea Medica non exiguam percipiam utilitatem, quicquid quotidiè observo, id in adversaria mea refero, ita ut

Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit.

Hinc quemadmodum antè diversa opuscula Medica, utpote de Theriaca & Mithridatio, de Confectione Alchermes, deq; Dysenteria & Peste publicavi: Ita quoq; posthac meo Jatrophysico muneri, quod jam DEI gratiâ per annos viginti sustinui, non deero, sed observationes meas Medicas suo tempore foràs dabo: Itaq; non video, cur præsens institutum meum jure quis reprehenderit, præsertim, quòd ad officii mei Physici rationem pertinere arbitrer, ut quicquid possim, in communem regni literarii usum conferam, & quidem de his rebus, de quibus scio posse me, non quidem ut Magistrum & Artificem, sed quasi

unum

unum ex Doctorum numero, atq; in usu scientiæ sideralis hominem mediocrem, neq; omninò rudem, aliqua utilia proponere. Nam rectè doctissimus vir quidam de fructu hujus laboris cecinit, ex cujus carmine quædam mutuabor & huc transferam;

Non ferri casu pulcerrima corpora mundi,
Verum lege bonâ ac ordine conspicuo,
Testatur liber hic, quindenos conficit annos
Quiritè, & notis itq; reditq; viis.
Hæc cùm suspiciens oculis ac mente notabis,
Autorem agnoscas, & venerare DEUM.

Vobis autem, MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI DOMINI, hoc opusculum Astronomicum quâ par est animi submissione inscribo, partim propter beneficia quibus me affectum esse & scio, & hic publicè prædico: partim etiam propter honestissimam VV. Magnif. propensionem cùm erga omnia tùm maximè erga Mathematica studia, ita ut DANTISCUM, urbs vestra, meritò audiat hospitium plurimorum Literatorum & sapientiæ prudentiæq; Candidatorum, Gymnasium liberalium Artium, omnium Bonorum patrocinium, & felicium ingeniorum seminarium, omnibus vitæ commodis, præcipuè verò pace & augustâ libertate florens: Imò DANTISCUM jure perhibetur corona Borussiæ, cujus templa Curia & Gymnasium sunt palæ; Vos, VIRI MAGNIFICI, gemmæ eis insertæ, tanquam STELLÆ radiantes in suis Epicyclis. Quod utinam diu sic faciatis in terris, ut deinde æternùm possitis in cælis. Ita voveo.

Ex Stetino veteri Pomeranorum, Kalendis Martiis, Anno CHRISTI Servatoris nostri Dionysiano M. DC. XLIV, qui est annus octavus quadragesimus Periodi quartæ Dionysianæ, 532 annorum, quæ & Victoriana dicitur.

CORONA EPANAGRAMMATICA,

AD

Virum Clarißimum & Excellentißimum,

DN. LAURENTIUM EICHSTADIVM

Ph & Med. Doctorem eximium &c.

Amicum singularem & Fautorem omni observantiâ honorandum.

TERTIAM PARTEM EPHEMERIDUM suarum edentem.

I.

LAVRENTIVS EICHSTADIVS PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOR PHYSICUS PALÆÔ-SEDINENSIS ORDINARIUS, ATQUE MATHEMATICUS INSIGNIS

ἀ αγγραμματίζεθῆ διυικῶς.

1.

HIPPARCHE EICHSTADI, NON EST MORTALE QUOD OPTAS;
I (a)! HEUS (b) OS SOPHIÆ, ILLUSTRIS MEDICIS AVICENNA,
INGENIUM VATIS (c)! DIVINâ (d) SYDERA TEXIS

(a) bonis, ut dicitur, avibus. (b) Diceris (c) videte! non enim cum quovis comparandum est. (d) arte.

2.

INNUMERAS NUMERAT STELLAS EICHSTADIUS ATLAS.
DICERIS EÔOS PHRYGIIS HINC INDE PAPHISQUE.
EXITO (a)! ô DEUS HUïC IPSI DATO NOMINA VITÆ!

(a) ut Protheus ex antro.

Duplex hic Anagrammatismus, quia suo sibi constat idiomate, exegesi opus non habet.

2. LAU-

2.

LAURENTIUS EICHSTADIUS MEDICINÆ DOCTOR ET ASTRONOMUS.

δι' ἀναγραμματισμοῦ

ASTRA DOCES MEDICUS: TOTO VIR NOMINE SIDUS:
LAUREA NECTIT.

ἐξήγησις

ARSTRA DOCES MEDICUS: quia multum doctus in *astris*:
Hinc *medicamen* habes, hinc *moderamen* habes.
ASTRA DOCES MEDICUS: TOTO VIR NOMINE SIDUS!
Quercetum! en *Axes*, ut reor, inde *Poli*.
Quercu hac stante simul stabit *Polus* omnis & *æther*;
metiriq; juvat *sidera* summa { fide. / poli.
Macte *vir Uraniæ decus!* accipe *præmia facti*:
LAUREA NECTIT ovans *serta Minerva* tibi.

3.

LAURENTIUS EICHSTADIUS.

ἀναγράμματα τετραδεῖον.

1. ARTE VALES DIVIS: SCIUNT.
2. IN VITA LUX ES: UT SIDERA.
3. AT LUCE URANIES STUDIIS
4. SIC IN TE EST DIVA LAURUS.

ἐξήγησις

Ad genus Monocolon.

DIVIS ARTE VALES: SIDERA TE SCIUNT,
Ut tu SIDERA scis *nomine*, calculo.
Ζεὺς *Mars* atq; Κρόνος, Cynthia *Lunaq;*,
Et cùm *Sole*, *Venus*, *Mercurius*, SCIUNT
Præsentemq; VIRUM *laudibus* evehunt,
DIVIS ARTE VALES: *te populi* SCIUNT,
Ut tu scis *populos nomine*, seu loco;
Europæ atq; *Asiæ*, notus es *Africæ*,

Hircanis, *Latiis*, quotq; habet *Arcticus*
Australisq́; polus notus es optimè
Divis ARTE VALES: *Flumina* te SCIUNT
Et *montes*, pariter quælibet *herbula*.
Baldi progenies, quin soboles pii
[illegible], SCIUNT *ingenij* tui
Lumen tùm *Medici*, turba *Philosophûm*.
Musæ Aonio culmine te SCIUNT
Omnes, atq; VIRUM *laudibus* evehunt.
Divis namq; VALES, ARTE VALES tuâ,
EICHSTADI! *monumentum* ære perennius,
Regaliq; situ *Pyramidum* altius,
Quod non *imber edax*, non *Aquilo* impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
annorum series, & fuga *Temporum*,
exegisti avidè: Sic age *prosperâ*
cresces *laude* recens. *sidera* dum queunt
huic *lucere* solo *lumine* lucida.
SIC EST: *ô bone VIR! Ingenio* tuo
IN VITA *patriæ* LUX ES, & emicas
ut *fulgent* nitidis, SIDERA *flammulis*.
Dicèris *celebris*, quâ strepit *Africus*
quá *Rhenus* fluit & *Tygris* & *Euphrates*.
Te dicet *Latium*: Te *Periæcus*, &
Antecus genium laudibus evehet.
EICHSTADI *decus*! EST DIVA *Heliconidum*
SIC IN TE meritò LAURUS, *honos* simul.
AT LUCE URANIIS tu STVDIIS diu
EICHSTADII *decus*! heus sume *superbiam*
Quæsitam meritis: huic age *Delphicâ*
LAVRO cinge volens *Melpomene comam*, &
Dignum laude virum Musa veta mori.

Adornata à

M: JACOBO GARTNERO:
Pom, *Ecclesiæ* Ratzeb. *ad D. Petri Pastore*,
& vicinarum Superint, *P. L. Cæs*.

STATVA MERCVRIALIS,

Quam

Architecto Phœbo & Proxeneta Lycophrone

In honorem

Viri præclarißimi, excellentiß. & experientiß.

DN. LAVRENTII EICHSTADII,

Medicinæ Doctoris & Reip. patr. Stetinensis laudatiss. Physici Ordinarii, Promotoris ac Fautoris sui jugiter honorandi,

Ex celeberr. Nomine ipsius, quod fundamenti vicem præstabat, literis per Sortilegium transpositis constructam, die Laurentij Martyris an. CIↃIↃC XLIV. in fano Mnemosynes, exhibitæ benevolentiæ memor ulteriorisq; captandæ cupidus, erexit

M. AUGUSTINUS PUCHNER, COR. P. CÆS. & Secretarius Julinensis.

Laurentius Eichstadius, Medicinæ Doctor & Reipublicæ Stetinensis Physicus,

lit. transp.

Hoc stante Uranies hîc disciplina dat Usum,
Inclitus Eusebies & viret ipse Decor.

MELOS.

EICHSTADIANÆ mentis & Ingeni
Felix acumen quando profundiùs
Mecum retracto, candidiq;
Judicij modulis voluto;
Tam vasta Laudum nascitur area,
Sat comparatis ut nequeam Virum
Mactare vatis umbra metris,
Elogiô & meritô beare,

Huic namq; nato primitùs ubera
Lambenda jussu Patris Apollinis
Ter-triplices Nymphæ sorores
Aßiduâ vice præbuêre.
Hinc hausit omnis lac Sapientiæ,
Quam Pallas orbi indulsit, ut Artium
Clarißimam tentare posset
Hippocratis placito in virecto.

Illam

Illam peremni non hebes aut socors
Nisu expetivit, donec honoribus
Amplis Hygejæ, ceu brabejô
Difficilis studij, esset auctus.
Quapropter urbi nunc patriæ præest
Jussu Senatûs credita corpora
Languentium svavi medela
Atq; favore pari fovendo.
Commune verùm hoc est quoq; pluribus,
Queîs non adhæret plumbea vastitas.
Hic singulares mente dotes
Possidet, unde decus reportet.
Astræa secum, dia Matheseos
Altrix, eundem duxit in ætheris
Stellata celsi tempe, & illic
Sidereos docuit meatùs.
Hinc alter Atlas, vel Tycho ceu gravis,
Gestare cœlum vertice scit suo,
Secreta lustrans ejus, adq;
Puncta Logistica mox reducens.
Ut, quando sydus quodlibet occidat
Vel surgat, ipsum non lateat, quibus
Horumq; Sol aut æmulatrix
Cynthia deficiant nitore.
Ast ista soli non modò scit sibi
Aut condit umbris lividus abditis;
Sed publicas profert in auras,
Usus ut Uraniæ patescat.

Testantur illud nota Diaria
Fastiq; docti, judicium quibus
Junctum futuræ sortis, ingens
Quin & Ephemeridum volumen.
Oestro Mathesin nec tamen impiô
Tractavit unquam, quodq; necessitas
Rerum hunc in orbem lucidorum
Ex positu fluat, adprobavit.
Nam conditorem stelligeræ DEUM
Agnoscit æthræ, ac temporis arbitrum,
Flos unde præcellens honoris
Eusebien manet imminutus.
Quin ipse, CHRISTI ceu pius adsecla,
Divina tantùm dogmata non frequens
Auscultat, horam intercalarem
Sed tribuit quoq; Lectioni.
Sic nempe totum Relligio tenet
Obstrictum IÖVÆ, ut quicquid Apostoli
Diviq; Vates Orthodoxis
Cum Patribus docuêre, noscat.
O Fata nostris & bona Faustitas
Terris reservent huncce diu Virum,
Tutumq; præstent sæviori
Sortis in horrisonæ tumultu!
Hinc auspicatò postgeniti imbibent
Usum recentem sidereæ Rei,
Sic & suus sacræ Süadæ
Stabit honos viridis per ævum.

LAVRENTIVS EICHSTADIVS

Anagramma

Huic laus devenit astris.

Autogramma.

LAUS ASTRIS, LAUS ex vario tibi devenit usu,
Ut mereas summi puncta Mathematici.

Epi-

Epigramma.

QUi laudes, vir clare, tuas & nomina cœlo
Tollere, vultq; tuum perpetuare decus;
Is vereor ne si nimium temerarius alta
Cùm Phaëtonte petat, cùm Phaëtonte cadat.
Major enim tua LAUS, major tua gloria, parvis
Claudere quàm numeris ulla Camœna queat.
Ut tamen argutos interstrepit anser olores;
Sic quoq; vile rudi carmen ab ore cano:
DEVENIT EX USU tibi LAUS, laus rarior ASTRIS,
Certiùs indigitas Sydera quippe poli.
Flammivomi stabunt donec laquearia tecta,
Laus tua in ore omnis posteritatis erit.

LAVRENTIVS.

ἀναγρ.

IN TE LAURUS

Est in TE LAURVS, LAVRVS florebis ut ipsa
Perpetuum, â lauru gloria certa venit.

f

M. CHRISTIANUS ANDREÆ
Claudianus.

EVPHE-

EVPHEMIA

Viro Præclarißimo atq; Excellentißimo

Dn. LAVRENTIO EICHSTADIO,

Philoſophiæ & utriusq; Medicinæ Doctori eximio, in Palæo-Sedino Pomeran: Phyſico ordinario & Aſtronomo (poſt τὸν νῦν μακαρίτην D. HERLITIUM) celeberrimo in Pomerania.

Aſtra valens rectè dignoſcere nobilis arte,
ALTER IS HERLITIUS, ALTER IS EICHSTADIUS.
Arte Machoniâ ſimul ac illuſtris, ut aſtris,
Numine ſic duplici credo valere viros.
Mox objecta ſibi ſcrutantur ſidera vates,
Mox ſubjecta ſibi corpora praxis habet.
Sidera qui ſpectet, ſeu languida corpora curet.
ALTER IS HERLITIUS, ALTER IS EICHSTADIUS.
Arcticus ille polus, polus eſt antarcticus ille,
Dux & hemiſphærl clarus uterq; ſui.
Sidera nemo colis, nec corpora, corpora verò
Archiatrum, vatem ſidera cuncta colent.
HERLICII duplici nunc numine gaudeat orbis,
Numine & aſtrali gaudeat EICHSTADII.
ARCHIATER BONUS ILLE, AUSPEX EX SIDERE VERAX,
INTER ET HAS STELLAS, CEV CYNOSVRA MICAT.

Ad mandatum Apollinis
publicavit

JOHANNES HUBERUS LYCHENSIS
P. L. Cæſareus & Paſtor Berticovienſis Ucaro-Marchicus.

AD CANDIDUM LECTOREM.

TErtiam partem Ephemeridum, in quindenos annos computatam, & jam ante biennium paratam, nunc demum tibi, Lector benevole, sisto; non tamen sub isto Typographo, sub quo priores duæ partes publicatæ prodierunt. Etsi enim is, si superstes mansisset, pristinâ formâ & hanc typis impressam publici juris fecisset: tamen anno Christi 1638 fatis (proh dolor!) concedens, cœptam telam pertexere nequivit. Unde spem edendi hanc partem ferè abjeceram, donec tandem Andreas Hünefeldt, typographus Dantiscanus, sumptus laboremq; in se susceperit & nudas Ephemerides sine copiosa Pædia Astronomica in lucem dare constituerit, & nunc DEI favore absolverit. Supputati autem sunt hi fasti Astronomici ex Tabulis Rudolphinis & Danicis, quæ accuratâ diligentiâ, diuturnis vigiliis & fidis observationibus magno Instrumentorum apparatu à Nobilissimo Tychone Braheo conquisitis constant, & præclaris inventionibus ac suppositis Astronomicis, tanquam solidis fundamentis, quibus ad veram cœlestium motuum cognitionem pervenitur, excultæ sunt. Cur verò in superioribus Planetis jam Tabulis Danicis adhæserim, contrà quàm ante factũ, me movit, quod inter utrasq; hîc occurat exigua differentia, calculusq; ex his sit expeditior, & insuper is, si non majori, certè pari certitudine τηρήσει Tychonicis plerumq; respondeat, sicut exempla observationum in Tabulis Secundorum Mobilium nuper à me publicatis proposita me docuerunt. Quamobrem his jam dictis Tabulis reliquæ priores summorum doctrinæ cœlestium motuum autorum, Ptolemæi, Copernici, Reinholdi, Purbachij & consimilium cedant, necesse est, ita ut illæ in annis tum præteritis tum futuris universi cœli motus, Solis Lunæ & aliorum Planetarum conjunctiones, oppositiones, defectiones, occultationes, & quicquid quæq; secula vel aspexerunt. vel aspectura sunt, infallibiliter nec sine admiratione singulari prædicere possint. Et ut usus tam Ephemeridum, quam ipsius Astronomiæ evidentior esset, de eo non inutilia in utraq; parte priorum mearum Ephemeridum sunt tradita. Nam principio de generali Ephemeridum usu, serie ac dispositione parte prima Ephemeridum cap. 1 & 2 pag. 4 ac seqq. dictum est. Et quia Tabulæ secundorum Motuum Planetarum jam seorsim à me in Folio sunt ex hypothesibus Tychonicis evulgatæ, iccirco quomodò Calculus veri motus Planetarum sit instituendus, te caput 3 part. 1 Ephemer. p. 8 & seqq. edocebit, ut & quomodo tempus antę omnia sit peræquandum & ad Meridianum Uranoburgicum reducendum, caput sequens

quartum p. *12*, *&* Catologus Civitatum primariarum p. *65* & seqq. ejusdem partis I. *commonstrant: Adhæc de Aspectibus Planetarum tùm antiquis tùm novis non solùm* cap. 5. part.) Ephemer. p. 2) *aliquid in medium allatum, sed & plura de iis in sequentibus* aphorismis Astrologicis de Judiciis genethliacis, inprimis aphorism.)4,)5,)6,)7, 18 *invenies. Quod si etiam Fixarum longitudinem, latitudinemq; ad qualibet tempora cognoscere cupis, caput sextum jam aliquoties nominatæ* partis I Ephemerid. p. 24; *Priorem & posteriorem classem Fixarum ibidem pag. 76-81, nec non uberiora præcepta* in Tabulis Secundorum Mobilium p. 24-31 *inculcata. Prætereà quia sublimis hujus artis intima sine scientia Doctrinæ Triangulorum penetrari nequit, cujus usus in sphæricis & Eclipsium calculo maximè est conspicuus, ideoq; quomodò Triangula Rectilinea, seu plana rectangula ex canone Logarithmorum per solam prosthaphæresin solvenda sint,* cap. IV. partis II. Ephemer. p *17*, *Triangula item Obliquangula* cap. V. ejusdem partis p. 23; *deinde Triangula sphærica Rectangula* c. 6. p. 30. *& deniq; Triang.* sphærica obliquangula c. 7. p. 43. & seqq. *habetur: Ipse verò Canon Logarithmorum* in eadem altera Ephemeridum parte pag. *129* & seqq. *extat. Atq; huic Canoni debetur quod observata apparentia stellarum loca sine magna molestia in certos numeros referri, & ex iis cùm omnium Planetarum motus, tùm etiam Eclipses computari queant. Sic & solutio Triangulorum sphæricorum in globo diffusa est per universam doctrinam primi mobilis. Siquidem per hanc confectæ sunt Tabulæ Ascensionum Rectarum, Declinationum & Ascensionum obliquarum. Quomodo etiam Differentiæ Ascensionales per unam prosthaphæresin ope ejusdem Canonis Logarithmorum inquirendæ sint, in* Tabulis primi mobilis p. 46 & seqq. *Astrophilum instruxi, & modum exemplis declaravi, ut &* in Problemate primo, secundo & tertio Astronomico cap. 8 part. II Ephemerid. p. 64 82. *Per hunc Canonem etiam & Doctrinam Triangulorum sphæricorum cujuslibet stellæ amplitudo ortiva, arcus semidiurnus & seminocturnus, quantitas, longitudoq; diei ac noctis, ascensio & descensio obliqua innotescit, sicut ex* Problemate II partis II Ephemer. p *67 patescit. Per eandem doctrinam investigatur locus in Zodiaco cujuslibet stellæ, ut & Cometarum, quando apparent, nec non parallaxis, quâ verus locus ab apparenti discernitur: qua de re consule* Problema III. ibid. p. 71 & seqq & Probl. 13. p. 116 & seq. *Quin & construuntur Tabulæ angulorum, quos Ecliptica facit cum Meridiano, cum Horizonte, cum circulis per verticem transeuntibus, quorum usus etiam in Eclipsium doctrina perquàm necessarius est, ut ex* Probema-

te

te IV & V. l. d. p. 82-87 *liquet. Per hanc quoq; doctrinam quarumlibet stellarum intercapedo, quarum tamen longitudo & latitudo vel ascensio recta & declinatio datæ fuerint, invenitur, & cum quo gradu signiferi culminent, ut te potest erudire* problema sextum præfatæ partis Ephem. p. 87 *quod & tradit methodum computandi aspectus, Planetis ad aliquot gradus latitudinis excurrentibus. Per eandem & ortus ac occasus heliacus stellarum, Latitudo ortus, inclinatio sphæræ & reliquæ differentiæ, crepusculorum quantitates, incrementa & decrementa, Arcuum horariorum tàm in Horizontis plano quàm in Verticali Circulo interstitia & differentiæ Longitudinum ac Latitudinum Locorum demonstrantur, sicut sequentia* tria ultima problemata pædiæ Astronomicæ parte II Ephemerid. à pag. 118 ad p. 127 *abundè monstrant. Adde etiam* Eclipsigraphiam meam pag. 221 & seqq. *quæ proponit compendiosam rationem computandi Eclipses Luminarium ad quodcunq; tempus, retrò etiam ad aliquot millia annorum. Neq; tantum his terminis circumscriptus est Astronomiæ usus, sed adhuc latius porrigitur, & egregium in Chronologia præbet subsidium, quo indubitati temporum Characterismi possunt inquiri. Quid enim in hac tertia Ephemeridum parte adhuc dici potuisset, summa sequens fastigia rerum, edisseram. Primò enim aliquid de Epochis seu Æris tam artificialibus, quàm historicis in genere, ad quas motus Planetarum & Calendaria referuntur, volebam agere. Secundò de origine & forma Anni Juliani, Periodi Julianæ & trium Cyclorum, quibus anni mensurantur. Tertiò de Æra Christiana, Juliani anni quantitatem & qualitatem sequente, nec non constitutione Calendarii Ecclesiastici veteris & usurpatione Cyclorum, ut & de celebratione immobilium festorum. Quartò de Æra Olympiadum inter profanas antiquissima. Quintò de Epocha urbis conditæ & primo anno Paliliorum Varroniano. Sextò de Epocha Nabonassari Chaldaica, à qua Anni Ægyptii & Astronomici deducuntur. Septimò de Æris cognatis Nabonassareæ, nimirum Æra Philippi, & mortis Alexandri Magni, Alexandrea Chaldæorum & Lezdegirdis seu Æra anni Persici. Octavò de Epocha & ratione Anni Judaici tàm Veteris quàm Novi. Nonò de Epocha & primis Calendis Anni Juliani atq; præcedente Anno confusionis. Decimò de Epocha seu Æra Antiochenorum. Undecimò de principio Æræ Hispanicæ. Duodecimo de Epocha Ægyptiorum, Anni Actiaci seu imperio Augusti, de annis Augustorum Romanis, deq; Reformatione Calendarij Juliani ab Augusto suscepta ob vitiosam intercalationem per Pontifices introductam. Tertiodecimò de Æra Annorum Diocletianorum, quæ & dicitur Æra Martyrum, Æraq; Abyssinorum. Quartò*

 deci-

decimo de Epocha Arabum & numeratione methodoq; annorum ac mensium Hegiræ apud Turcas. De his & aliis vicinis materiis decreveram quidem agere in Pædia Tertiæ partis Ephemeridum, omniaq; erant elaborata. At quia verendum erat, ne pretium Ephemeridum ob talem appendicem augeretur, & longior mora editioni injiceretur, ideoq; malui hanc partem in Chronologiæ usum & tractationem reservare.

Cæterum non propter se ipsam tantùm Astronomia expetenda est, sed & propter alia multa, ad quæ non modò utilis, verum etiam quodammodò necessaria est. Etenim quoniam inferiora à superioribus & reguntur & variè afficiuntur, caussas & effectus, status mutationesq; rerum sublunarium à cœlestibus cognovisse utilissimum certè est, & ad commodum vitæ humanæ magnoperè desiderandum. Quocirca Prognostici facultati & Astrologiæ in Ephemeridibus meis aliquid tribuendum censui. Hinc prima Ephemeridum parte capite ultimo p. 32 & seqq. *nonnulla de prognostico mutationis aëris & tempestatum tàm generali quàm speciali addidi.* Et in altera Ephemeridum parte, sectione tertia p. 321 & sequentibus *de Diebus criticis, & quomodo illi à Lunæ motu ac configurationibus cum aliis Planetis dependeant non solum in præceptis, sed & in exemplis, aliquot annis in praxi Medica collectis à me, liquidò ostendi. Ita enim apparet, quomodò Astronomia & Astrologia rei nauticæ, rusticæ, medicinali & aliis usibus vitæ civilis deserviat. Etsi verò Astrologia tam dissimilis est priori, quam homo sobrius ebrio; Virgo casta, pulcra, bonæq; famæ, impudicæ deformi & malæ famæ: tamen si & hæc consideretur, tanquam pars Physices & Astronomiæ, quæ saltem habet principia, non incommutabilia & necessaria, sed communia & variabilia, quæq; prædicit eventus rerum futurarum, non necessariarum & contingentium, ceu effectus Astrorum ut plurimùm consecutos, tunc eam Astronomia & Physica instar filiæ genuinæ ex commercio illarum & intemerato Conjugio natæ. Nam licet aliquando eventus ob peculiares aliquas & vel supremam caussam vel proximam impediantur: quia tamen* μάλιστα καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἢ πλεῖστον *maxima ex parte fieri solent, iccircò nomen Artis singularis merentur. Quamobrem constitueram hìc quoq; quædam de Electionibus naturalibus, quid qualibet in re consultò & utiliter faciendum, dicere ut & de Magisterio Geneseon, & quid ex Thematis natalitiis probabiliter prædici queat. In quem finem ultra quadringenta paradigmata Geniturarum in peculiares chartas conjectarum collegeram & plurima ex iisdem Tabulis, ex quibus Ephemerides istæ conditæ sunt, supputaveram. Habeo enim Geneses Monarcharum & Impera-*

peratorum veterum & recentiorum Regum, Ducum, Comitum, Nobilium, Illustrium & Ecclesiasticarum Personarum, Doctorum, ICtorum, Medicorum, Philosophorum, insignium militum, Artificum diversorum, Hominum longioris & brevioris vitæ, fœcundorum & sterilium, Cinædorum, impurorum, scortatorum, claudorum, surdorum, mutilorum, hermaphroditorum, distinctis morbis Chronicis seu diuturnis & acutis laborantium, & aliis aliisq; tàm mortis naturalis quàm violentæ generibus extinctorum. Verum quia sic hæc pars Ephemeridum plùs in molem excrevisset, pretiumq; ejus crevisset, ideoq; nec hæc Astrologica potui adjicere. Intereà tamen Aphorismos Astrologicos centum, fundamenta judicij Astrologici de Thematis genethliacis, ex diversis probatisq; Authoribus excerptos, complectentes addo, ut huic Tertiæ parti aliquid, quod ad Astrologiam spectat, in commodum Lectoris ne desit. Quare cum elegantissimo Poëta, Medico & Astronomo Hieronymo Fracastorio ita finio:

Sed jam me rapidi diversa volumina cœli
Dicentem satis, & nunquam reqvieta secutum
Sidera per varios cursus, variosq; recursus
Hac juvat insudasse tenus, nunc ultima fessum
Accipiat, finemq; meo det meta labori.

Sequuntur jam

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ
TERTIÆ PARTIS EPHEMERIDUM,
in quibus continetur,

BREVIS CONSIDERATIO FUNDAMENTORUM, quibus Judicium Genethliacum nititur
PER CENTUM NUMEROS SEU Aphorismos instituta.

PROLEGOMENA TERTIÆ PARTIS EPHEMERIDVM,

In quibus continetur

BREVIS CONSIDERATIO FVNDAMENTOrum, quibus Judicium Genethliacum nititur.

Aphor. I.

QUando Fœtus humanus à matre ſeparatur, & partu excluditur, h.e. Homo, quando naſcitur tunc in puncto Nativitatis ſuæ concipit characterem totius figuræ ſenſibilis Zodiaci & harmoniam radioſam Planetarum ſub fixis, ita ut loca omnia Circuli Zodiaci, ſignum culminans, oriens, occidens omnisq; confluxus configurationum cœleſtium ei imprimantur, nec ante extremum hominis ſpiritum extinguantur.

II.

Quandoquidem is in momento ſui partus omnes radiationes Stellarum imbibit, cœlumq; in eum vires ſuas per lumen radioſum, per aſpectus, occultum contactum & per ſpecies immateriatas, quæ cum Temperamento, cum ſpiritibus, calore nativo ſanguini conjuncto, omnibusq, Elementis, ex quibus homo compoſitus eſt, intimam habet cognationem, effundit.

III.

Craſis enim iſta, quæ eſt inſtrumentum Actionum naturalium, figit ſuam ſedem in ſpiritibus & ſanguine, ceu flamma ac facula accenſa in corde. Hinc cor in ſuâ figura oblongâ ad ſphæræ formam proximè accedit, duobus ſinubus & multis quaſi foveis eſt excavatum, ut ſit focus ſanguinis arterioſi, caloris nativi, & jugis ſpirituum ſcaturigo, unde Temperamentũ provenit, cui omnes actiones naturales acceptæ feruntur.

IV.

Cur autem hic influxus cœli non tam agat in conceptionem & generationem, quam nativitatem Hominis *Cardan. in Comment. in lib 3 text. 3 Apoteleſm. Ptolomæi, & Keplerus lib. 4 Harmonices de configurationibus cap. 7.* hanc reddunt cauſam, quod tunc homo incipiat eſſe id, quod eſt. Nativitàs enim, non conceptio & generatio, Hominis eſt ortus. Quanto igitur

perfectior est Homo semine & imperfecto fœtu, tantò nativitas est perfectior generatione, & promptius recipit Harmonicam illam siderum dispositionem, quam Aspectum vocitamus.

V.

Et quod res ita se habeat, ex eô ostenditur, quia licet partus non sit nova hominis generatio, neq; post partum accedat plus corporeum homini, quàm paulò ante partum: tamen in partu Homo suam accipit perfectionem, quam habere debet. Siquidem ante partum radiis maternæ flammæ vitalis fovebatur per venam & arteriam umbilicales, quæ Arteria in cor Fœtus inseritur. At hic cordis meatus separatus cum primo partus momento concidit, penitusq; evanescit, ut in suculis recens editis mônstrari potest. Hinc cor Fœtus, dum est in utero, non minus motu illo Systoles & Diastoles, quam respiratione caret, nec dum in eó propria vitæ flamma est accensa. Proinde in partu accidit respiratio per nares & palatum, per pulmones, asperam Arteriam & os; accidit sumptio nutrimenti per os, ejectio urinæ per virgam, excretio fecum & usus sensuum exteriorum, quæ functiones ante partum planè cessant.

VI.

Quocirca facultas vitalis tunc in actum producitur, cùm per partum inflammatur, manetq; fixa intus in cordis lampade, sic ut homini porrò sit opus respiratione & reciproco motu Systoles & Diastoles, ad fovendam vitæ flammam, sicut videmus fieri in clausa lampade, in qua flamma sit fovenda oleo, ventilatione & effumatione.

VII.

Itaq; in Temperamento hominis per Spiritus, qui ob subtilitatem & ἀναλογικῶς æetherei dicuntur, perq; flammam vitalis facultatis, accensam primùm in partu, præcipuè relucet hæc constantia characterismi cœlestis, omniumq; Thematis genethlici partium, radiosiq; Planetarum concentus, & adeò durabilis est in homine, ut ante vitæ finem non deponatur; Quum ad omnes Planetarum transitus sese hæc facultas commoveat, perinde ac si loca ista in natura humana essent vera sidera, etiamsi Cœlum post partus momentum in alia loca eat & transfiguretur. Hinc videmus in morbis, quando Natura humorem noxium è corpore conatur exturbare locum, quem Luna tempore nativitatis possedit, virtutem concipere

veræ

veræ Lunæ in ſuo ſigno & gradu immobilis. Cum enim ad ejus quadrata & oppoſita loca ☽ pervenit, tunc natura Hominis excitatur ad luctam cum morbo, & hoc ipſum etiam ad uſq; finem vitæ perdurat, quando extremus Agon morbi & Naturæ, quem Mors excipit, imminet. Hoc fundamento nititur doctrina Criſium, aliquot exemplis & præceptis *in parte mearum Ephemeridum alterâ* illuſtrata.

VIII.

Cumprimis autem eximium & infallibile hujus rei documentum præbet cognatio Geneſeon, ſub quibus parentes & ſub quibus eorum liberi naſcuntur. Maturo enim fœtu exiſtente facultas Animæ formatrix & expultrix magno partitudinis niſu ad enitendum fætum ſeſe accingit, quando nimirum Stellæ in ſedes maternæ paternæve Geneſeos vel eoſdem Aſpectus reverſæ admonent facultatem Animæ expultricem ſui characteris cæleſtis. Id quod Aſtrophili ex collatione thematum Liberorum cum Parentum Genituris dicere poterunt. Quo in genere ſi alicui exemplo poſſim eſſe, ei geneſin meam meorumq; parentum non invideo, in quâ hanc convenientiam oſtendere forſan non incommodum erit. Majorem autem Harmoniam cum Matris geneſi ego ipſius primogenitus, quam cum Patre invenio. Nata autem eſt illa anno Æ. C. 1575 die 12 Junii 3 hor. min. 20 p. m. ſub Latitudine 53 gr. 30′ Longitudine 38 gr. 15′. Ego vero anno Chr. 1596 die 10 Aug. S. V. hor. 12 meridiana ſub eadem Latitudine & Longitudine 38 gr. 45′. Nos 1. unum idemq; ſignum Aſcendens & culminans omneſq; ferè Planetas ſupra terram poſitos habemus. 2. Illa unum Luminare nempe ☽am in M. C. & ego alterum ☉em ibidem habeo. 3. Illa habet tres Planetas ♃ ♂ ♀ in uno ſigno ♋ conjunctos: & ego totidem habeo conjunctos, nempe ♄ ♂ ☿ in ſextili radio ejuſdem ſigni, nempe in ♍. 4. ♃ ejus cum meâ ☽ in unâ eademq; domo, & in una eademq; parte ſigni nimirum °16, ♋ conſiſtit. 5. Illa gaudet conjunctione ♃ ♀ in ♋. Ego partili ferè trigono ♃ ♀. 6. Illa habet Quincuncem ♄ ♃ ego △ ♄ ♃. 7. illa ſemiſextum ♀ ☽ ego □ ♀ ☽. 8. Illa ☌ ♃ ♂ ego △ ♃ ♂ & ſolem in ſextili radio. 9. Illa oppoſitionem ♄ ☿ in ♐ ♊ ego ☌ ♄ ☿. 10. Illa deniq; Quincuncem ♄ ♂. ego verò conjunctionem ♄ ♂is. At parens meus in hanc lucem editus eſt ſub eadem longitudine & latitudine, quâ ego anno Æ. C. 1556, die 26 Novemb. 19 hor. 46′. Cum hujus themate natalitio in ſequentibus

mem-

membris conſpiro. Horoſcopum habemus in mutuo ſemiſexto radio, Illic ☽a verſatur in Medio cœli. Hic ☉ luminare magnum occupat M. C. & verſatur in ⚹ ☽: illic invenitur ☍ ♄ ac ♂, hic ☌ eorundem; illic ♃ in angulo orientis reperitur, hîc in ipſo Occidentis angulo: illic pleriq; Planetæ nempe ♄ ♃ ☉ ☽ ♀ ☿ in angulis morantur, & hic pleriq; in iisdem, utpote ♄ ♃ ♂ ☉ ☿: illic eſt Semiſextus ♂ ♀, & hic idem aſpectus occurrit. Itaq; quando igniculi cordis in fœtu ſentiunt adeſſe ejuſmodi radiationes, quæ cum parentum aſpectibus convenientiam habent, ſubſultant, ipſeq; fœtus in luminis auram exire cupit.

IX.

Alia quoq; conſimilia paſſim occurrunt exempla, quæ mihi luculentum omniq; exceptione majus videntur eſſe argumentum ad probandum, quod aſtra tempore genituræ habeant ſympathiam cum temperamento Nati, & cum iis, quæ fluunt ex temperamento. Et licet curvæ in terras animæ cœleſtium inanes, ut à *Perſio Sat. 1.* vocantur, hoc ſcriptionis genus ſtultitiæ damnaverint; tamen amatores ſcientiæ naturalis hujuſmodi obſervationes inquirere non negligent, & diligenter in hac collatione geneſeon Parentum cum Liberorum Thematis ſe exercebunt.

X.

Johannes Picus quidem Mirandulæ Comes lib 6. contra Aſtrologiam cap. 5, 6 & 7, exiſtimat, Aſtrologorum de aſpectibus ſententiam eſſe parum rationalem, & eam potiſſimum ob cauſam rejiciendam, quod inefficiens ſit numerorum & figurarum diverſitas, & quod à numeris figuriſq; naturales virtutes non proveniant, ſed à formis naturalibus, pro quarum diverſitate Figuræ quoq; ipſæ ſtabiles & nativæ, non quales adventitiæ ex motu conſurgunt, moventur & variantur. Quantitatum enim, ut ex doctrina Prædicamentorum diſcimus, per ſe nulla eſt efficacia.

XI.

Verumenimverò etiamſi *Pico* ejuſq; magiſtro *Ariſtoteli* libenter concedamus, non numeros, punctum, ſuperficiem & cætera in ſe quicquam habere, quod non vel à quantitatibus, vel ab aliis veris & realibus, vel intentionalibus mentis entibus acceperint, & ideo illos jam dicti axiomatis veritate rectè refutari, qui numeris e. g. Climactericis annis & aliis, per ſe conververſionem Rerumpublicarum, rerumq; humanarum tribuunt: tamen

quum hic ab Astrologis non aspectuum Materiale, quod in numeris consistit, consideretur, sed ipsum Formale, quatenus constituunt aliquam figurā regularem in circulo magno, quæ figura non amplius spectat ad prædicamentum Quantitatis, seu ad quartam speciem Qualitatis, & certo respectu etiam, quatenus numerorum & intervallorum in Circulo magno ratio præbet aliquam proportionem inter sese cum toto, & cum Diametro Circulo magno ratio præbet aliquam proportionem inter sese cum toto, & cum Diametro circuli, ad Prædicamentum Relationis: ideoq; virtutes naturales Aspectibus denegari nequeunt.

XII.

Quapropter *Ptolemæus* loco paulò ante memorato lib. 3. Apotelesmaton textu 1. & Cardanus in Comm: eorumq; sectator solertissimus *Kepplerus in mysterio Cosmographico cap. 12; lib. 4. Harm. c. 6 & 7; in libello de Stella Serpentarij p. 43* clarissimè ostendunt, septem esse divisiones chordę & circuli harmonicas, sic comparatas, ut partes inter se & cum integra chorda consonent. Quemadmodum autem divisio chordæ & fidis in plano per rectam lineam perficitur, sic & divisio Circuli per applicationem linearum rectarum ex proportione Diametri ad Circulum fluentium, & Angulorum, quibus figuræ regulares inscribuntur, instituitur.

XIII.

Rursus, quemadmodum tot consonantiæ & partes magadio distinctæ in fidibus aures suaviter demulcent, ita quoq; experientia testatur χυματηρμὲς in magno cœli circulo per 12 Zodiaci signa euntes, & aliquam Zodiaci partem intercipientes, naturam sublunarem commovere & ad aliquod opus incitare.

XIV.

Comparationes harum divisionum septem sunt istæ. Primò. Latus Sexangulare in partibus chordę suis magadiis discretum efficit inter aspectus Sextilem, (✱) qui est distantia 60 grad. (2.) Latus Quadrangulare in chorda ostendit aspectum tetragonum seu Quadratum, (□) qui intervallum 90 gr. comprehendit. (3.) Triangulare latus Trinum vel Trigonum, (△) interstitium 120 gr. constituit. (4.) Diameter ostendit radium oppositum, (seu ☍,) quę in Zodiaco est intercapedo 180 gr. Conjunctio verò (☌) respondet Unisono: & sicut hic sonus fundamentum est harmonicarum pro-

por-

portionū, & unitas principium numeri ſecundum Ariſtotelē; ita quoq; Synodus, Syzygia, Conjunctio fundamentum eſt reliquorum Aſpectuum. Et hi ſunt quinq; Aſpectus ab Aſtrologis hactenus obſervari ſoliti, quibus ex reliquis diviſionibus chordæ & Circuli tres inſuper adduntur à Mœſtlino & Keplero. (5.) Latus enim quinquangulare reſpondet Quintili, diſtantiæ 72 gr. (6.) Latus ſubtenſum tribus octavis in chorda monſtrat Trioctilem vel ſesquadrum, diſtantiam 135 gr. Et deniq; (7.) Latus ſubtenſum duabus quintis, ut ſunt ſegmenta congrui, Biquintili ſpatio 144 gr. congruit.

XV.

Etſi verò magna eſt affinitas inter Harmonias & Aſpectus, & eadem utriuſq; generis origo ex figuris mobilibus Circulo inſcriptibilibus: aliis tamen legibus formari ſeptenarium numerum diviſionum harmonicarum chordæ, aliisq; numerum Aſpectuum, *Kepplerus* locis ſuperius allegatis tradit. Nam in circulo latus Dodecagoni, quod unum Signum efficit, cum angulo Stellæ Dodecagonicæ in centro metitur angulum, qui gignit Semiſextum ſeu intervallum 30 gr. qui Aſpectus ob ſuam ſcibilitatem cum △ & ✱ contendit: in chorda autem non invenitur, eò quod ejus partitio octavam non tranſcendat.

XVI.

Adhæc ad eundem gradum efficacitatis configurationum etiam Quincunx accedit, intervallum 5 Signorum ſeu 150 gr. ita enim continuâ ſerie Signorum ad oppoſitum radium itur, & conſequenter per eundum Aſpectum ad initium Signorum reditur: ita quoq; per ſingula Signa diverſi commeant Aſpectus, utpote Semiſextus, ✱, □, △, Quintilis, ☍ & rurſus per Quincuncem, △, □, ✱, & ⚺ ad initium fit progreſſus. Idcirco de Quincunce 150 gr. *Kepplerus in inſtructione ſuper novâ formâ Ephemeridum* affirmat, quod ſibi tempeſtates obſervanti ſemel atq; iterum hic aſpectus validus admodum viſus fuerit: & in *Ephemeride anni 1627 menſe Aprili* ait, *quod hunc Aſpectum ſatis multis experimentis pro conſummato oppoſito radio commendare poſſit.*

XVII.

Ultimum deniq; & infimum Aſpectuum gradum obtinent Decilis, Octilis & Tridecilis, utpote qui ex primariis fluunt. Congruentia namq; circumferentialis figuræ Decagoni & Octogoni efficit Semiquintilem ſeu De-

cilem interstitium 105 gr. & Octilem seu sesquadrum, intervallum 45 gr. Et insuper Decagoni latus ter sumtum Tridecilem, qui à Mæstlino etiam sesquiquintilis appellatur. Complectitur etiam Quintilem & Decilem, seu semiquintilem, spatium 108 gr. Decilis, quia vicinus est semisexto forti, sicut Biquintilis Quincunci, ideoq; difficilius operatio ejus in inferioribus Planetis observari potest. Melius Octilis ambiens Decilem & Sextilem, fortiùs adhuc Tridecilis Decili Octili & Trioctili seu sesquadro: remotior enim est & quasi medius inter □ & △.

XVIII.

Ergò ex cognitione harmonicæ Musicæ & Aspectuum, ut & ex Geometrica divisione Circuli magni in congruas figuras prodeunt 13 numero configurationes, nempe 1 ☌ tanquam basis, quæ respondet Unisono. 2 ⚹. 3. □. 4. △. 5. ☍. 6. Quintilis. 7. ✠ 8. Sesquadrus. 9. S. S. 10. Quincunx 11 Decilis. 12. Octilis. 13. Tridecilis. Qui sic ordine sibi invicem succedunt 1. ☌. 2. S. S. 3 Decilis. 4. Octilis. 5. ⚹. 6. Quintilis. 7. □. 8. Tridecilis, 9. △. 10. Sesquadrus. 11. Biquintilis. 12. Quincunx. 13. ☍.

XIX.

Proinde sicut omnis proportio, ita & hęc partium circuli ad totum, quæ certos σχηματισμοὺς præbet, spectat ad Prædicamentum Relationis, & ipsa descripta proportionis forma ad quartam speciem Qualitatis. Est enim Aspectus Relatio figurata &, ut Metaphysici loquuntur, Qualitativa, quippe à figuris regularibus formata. Et quia hæc harmonia est sensibilis, concreta, & in se lumen, radios, motumq; stellarum complectitur, ideoq; his figurationum cœlestium stimulis corpora nostra affici, & ad negocia, quæ sub manibus sunt, peragenda impelli, observatum est. Grati sunt soni & voces, quę consistunt in tripla vel sesquialtera proportione: ingrati verô sunt, quæ à septupla vel sesquisexta proveniunt; sic & magis excitant naturam sublunarem radii inter 60 gradus subtensi, quàm inter 57 vel 63: Quamobrem hęc comparatio aspectuum cum concentibus musicis, quasi in nudis numeris consisteret, frustrà à Mirandulano Comite impugnata est.

XX.

Quin & testantur Physiognomones, utpote *Johannes Baptista Porta in sua cælesti & humana Physiognomia*; *Rudolphus Goclenius in sua Uranoscopia &* *Meta-*

Metaposcopia, *D. Thadæus Hagæcius in præceptis Physiognomicis* & alii, quòd hæc signatura Thematis genethliaci occultâ virtutis formatricis facultate in speciem vultus immergatur, & quod facies seu frons sit cælum Microcosmi genesin cujuslibet per lineas Planetarum exprimens, ex quibus Metoposcopus temperamentum, mores, & fortunam hominum dijudicat, sicut noster conterraneus *Dn. Samuel Fuchsius Coslino Pomeranus in suo erudito scripto de Metoposcopia & Ophtalmoscopia cap. 11, 12, 13* & pluribus docet.

XXI.

Ad hanc causam ex parte referendi sunt motus illi naturales sine consilio præterq; voluntatem existentes, & ideò magis muti & bruti, quam rationales censendi, affectus, inquam, odii vel amoris, qui ex membrorum commensu, vocis & temperamenti qualitatibus bonitatem vel similitudinem æstimantes animi alterius cum suo, mirificè in illum exardescunt. Hinc amor insanus adolescentis erga puellam, qui nescit, quare, aut quid potissimum in eâ amet: unde ei hunc affectum, si sit honestus & legitimus præ alia quavis nubila puella conciliare non nequit. At conjector ex astris superveniens invenit in utriusq; themate quorundam Planetarum sympathiam, & physiognomon deprehendit similitudinem aliquam characterum in facie, vel in commensu corporis, vel in incessu motuq; membrorum, unde proficiscitur similitudo illa morum, qui, si vitiosi, litigiis perpetuis in conjugio dant ansam; si boni, tranquillitatem vitæ pariunt, qualem Mater mea cum Patre coluisse sæpius prædicare solebat, qualemq; consensum etiam ex meo themate genethliaco cum utroq; eorum collegi.

XXII.

Et adhuc major efficacia Syderum apparet in iis, qui sub δορυφορία (ut Ptolemæus loquitur) h. e. satellitio, copula & conspiratione Aspectuum cœlestium validorum, Sole comite, nascuntur. Siquidem eos multum valere authoritate & pietate apud cœtum hominum, valere etiam suffragiis in consiliis, gratia apud Principes, & veluti fascino quodã plurimos ad sese trahere, & hinc præcipuos capere impetus ad magna negocia obeunda & conficienda volunt Astrologi. Cujus rei exempla apud omnẽ posteritatis memoriam celebranda veniunt in genesi [illegible] Alexandri M. Gustavi M.

 Regis

Regis Sveciæ & aliorum. Nam in nativitate Lutheri superiores in uno ferè signo, concomitante ☉ copulantur. Hinc ipse *Cardanus in exemplis genituraru* (quanquā nonnihil à die aberraverit) ingenuè fatetur, hunc concursum significasse, dogma Lutheri brevi tempore per maximam mundi partem, Germaniam, Angliam, Daniam, Sveciam &c. propagatum iri, & incredibiles successus habiturum. Hoc satellitium Planetarum à superioribus ♄ & ♃ in △ terreo signorum Septentrionalium ♉ ♍ cinctum, reperitur etiam in genesi Alexandri M. de qua seorsim aliquid suo loco dicemus. In themate genethliaco Regis Sveciæ p. m. superiores apud duas egregias Zodiaci Stellas cor ♌ & Fomahant μοιρικῶς & partiliter opponuntur, & forti quadrato ♂is apud boream & lucidam frontis ♏ versantis fulciuntur. Hinc incredibile est, quantis successibus in præliis, invasionibus & expugnationibus valuerit. Hunc non infelici superiorum conjunctione in Trigono igneo fortissimus Heros Bernhardus Dux Saxoniæ Vinariensis secutus est. Quin & Dux Fridlandiæ Albertus ob hunc superiorum concursum in orientali cœli angulo, non infelicibus præliis gavisus est, quanquam ☉ iis non tam sua præsentia, quam B. Luthero faverit

XXIII.

Non igitur abs re Juvenalis Poëta Satyr. 7 cecinit:

— — — distat enim, quæ
Sidera te excipiant, modò primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.

Et Palingenius in Zodiaco vitæ sub Capricorno:

Principiò nasci fausto sub sidere oportet:
Distat enim multum, quali sub imagine, quali
Sub facie cœli quisquis nascatur, ut ajunt,
Qui astrorum motus, vires & nomina nôrunt.

Atq; cum hisce Philosophi consentiunt. Unde *Aristoteles lib. 1. Meteor. Cap. 2. Mundus*, inquit, *qui circa terram, ex necessitate superioribus lationibus continuus est quodammodò, ut omnis ejus virtus inde gubernetur.* Cui subscribens *Divus Thomas 2 lib. partis 1 sum. 2 quæst. 115 art: 13 Corpora cælestia*, ait, *causam esse eorum, quæ in locis inferioribus fiunt*, & in eo *Divi Augustini* sententiam *lib. 3. de Prin. cap. 4.* secutus affirmat, *corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine regi.*

XXIV. Cæte.

XXIV.

Cæterum quia *Galenus in peculiari libro*, qui extat *tom. 1. operum Galeni Græcorum p. 344. in editione Basiliensi* probat, ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη τȣ̃ σώματος κράσεσι ἕπεται, quod animi mores corporis temperamentum sequantur: Propterea Astrologi inclinationes & confirmationes morum hominis ex consideratione thematis illius genethliaci meliùs, quàm tempestates ex configurationibus Planetarum indagare & prædicere possunt, quia temperamentum potissimùm à causis constitutionis cœli circa tempus partus dependet; tempestatum autem variatio respicit aspectûs saltem, ut partem causæ, nec semper eorum commoderationem sequitur.

XXV.

Fingamus igitur, stellam ♂ in genesi alicujus prædominari, id quod Genethliacus ex ejus loco superiori in angulis cæli, ex validis ejus radiis ad ☉ & reliquos Planetas, ex positu in signis Boreis & apud Stellas ipsius naturæ cognoscit; tunc rectè pronunciatur, natum cholerici temperamenti fore, fortem, iracundum, cordatum, immisericordem, pugnacem, & febribus, calidisq; morbis obnoxium, eò, quod ejusmodi mores plerumq; temperamentum cholericum seqvantur. Quod si ♃ habuerit prædominium (quod ex iisdem signis colligitur,) natum sanguineâ crasi præditum esse conjicitur, esse quoq; hilarem liberalem, gaudere conversatione hominum & sectari res pulchras. Sin veró ♄ prævaluerit, tunc hominem melancholici temperamenti esse, timidum, cogitabundum, tristem, & ad diuturnos morbos, â splenis vitiis provenientes, pronum, dijudicatur: quòd si simul versatur in forti ☿ & ☽ radiatione, solers habere ingenium, quod ipsum ad contemplationis profunditatem & invictam laborum constantiam invitat, colligitur. Sicuti nec Nobilissimus *Tycho Braheus lib. 1. Prog: Astron. p. 151* ab hoc Aphorismo Astrologico alienus est; Ait enim, quod ut plurimum ejusmodi ♄ positus ingenia sagacia denotare soleat.

XXVI.

Quod si ♄ ♀ & ☽ radii, vel ipsa conjunctio Planetarum prædominatur in angulis cœli, plerumq; temperamentum hominis evadit phlegmaticum seu pituitosum h. e. frigidum & humidum. Hujus temperamenti homines plerumq; actionibus tardi, timidi, pusillo & abjecto animo, obtuso quandoq; & stupido ingenio, pinguiori corporis habitu, capillis citò canescentibus

tibus

tibus, genitalibus frigidis, & juvantur à calefacientibus, læduntur á refrigerantibus.

XXVII.

Hinc quoq; fieri videmus, quod gemini Fratres uno eodemq; tempore nati similem corporis constitutionem, similes mores & similem quandoq; fortunam consequantur, iisdemq; morbis sint obnoxii. Legimus enim in *complemento Chronici Sigeberti ad annum Christi 535* quod exemplum etiam ab *Autoribus Centuriarum Magdeburgensium Ecclesiasticarum Centuria Sexta, non procul ab initio, & Wolfio Centen. 12 lectionum memor: p. 337.* integrè recitatur) de duobus geminis fratribus, natione Gallis, eodem tempore natis, quod ambo Sacerdotes facti, & Episcopi electi, amboq; eodem anno, mense & die mortui fuerint. Uni nomen fuit Medardo, qui fuit Episcopus Novionensis; alteri Gildredo vel Gilhardo, qui factus est Episcopus Rotomagensis. Quocirca *Wolfius* l. d. addit, quod sine dubio ambo uno ferè momento nati sint, alioquin eandem fortunam, conditionem, dignitatem & longitudinem vitæ non fuissent adepti. Ad hæc *Felix Platerus*, felicissimus olim Medicus Basiliensis *lib. 3. Observ. Medic.* de duobus fratribus doctissimis, Gallis, Francisco & Petro Pithæis, qui anno 1558 eodem partu septimestri nati sunt, narrat, quod formâ corporis sibi adeò similes fuerint, ut præfatus Platerus sæpe unum pro altero, quum literis humanioribus Basileæ operam dedissent, affatus sit, utut ambo ipsi probè noti fuerint, sæpeq; cum ipsis conversatus sit. Quin & hoc addit, quod naturali quadam sympathia miroq; & singulari consensu sibi invicem responderint, ut, quod unus cogitaret tacitè, alteri quoq; eodem tempore in mentem veniret, &, si unus ægrotaret, alter similiter malè haberet, ita ut & par morbus utrumq; disjunctos, unum in Campania, alterum Basileæ commorantem infestaverit. Præterea *Sebitius Medicus Argentoratensis disp. medicâ 43 probl. 10* refert, mulierem quandam Argentinensem, pistoris cujusdam uxorem, anno 1608 die 20 Septembris trigeminos enixam esse, marem unum & binas fœmellas. Primò hora 10 26 p. m. fæmella nata est quæ Saræ nomen accepit: elapso quadrante horæ, nempe 35 post decimam altera in vitalem auram prodiit, quæ Elisabetha vocata est. Et rursus abeunte quadrante nimirum 56 post decimam masculus, qui Abraham appellatus est, lucem aspexit: Fœmella utraq; postea viro nupsit, & Abrahamus masculus anno

1629

1629 itidem conjugium ambiit, ita ut hosce trigeminos idem temperamentum, nec multum diversi mores manserint. Plura exempla hujusmodi nativitatum narrat *Henricus Ranzovius in libello de certitudine Astrologicæ scientiæ.*

XXVIII.

Potest etiam fieri, ut duo gemelli ob diversum partus tempus, diversum Ascendentem, dissimilesq; Planetas coascendentes, aliumq; ☽ positum, nec non ob diversam educationem, consuetudinem & institutionem unâ conceptione nati, & unum amiculum commune habentes, diversum temperamentum, diversos mores & vitæ institutum præ se ferant, nec eundem vitæ exitum sortiantur. Hinc in historiis consignatum est, Ducissam Holsatię Adolphi conjugem, anno 1575 peperisse Gottorpi gemellos d. 27 Februarii hor. 7. matut. Filiolam unam & die sequente hor. 8 35 ante mer. Johannem Adolphum hæredem Norvegiæ Ducem Sleswigiæ, Holsatiæ, Stormariæ &c. At hi gemelli & moribus corporis animiq; dotibus vitæq; exitu variârunt. Ducissa quippe Anna rebus humanis exemta est anno 1616 d. 23 Mart: Ejusmodi etiam procul dubio partus fuit Eurysthenis & Procli geminorum fratrum, quorum meminit *Herodotus lib. 6 c. 52 & Cic. lib. 2 de nat: Deorum col. mihi 1992 lit: A:* nam & hi idem anni spatium non attigerunt. Procli enim vita brevior fuit, multumq; Fratri rerum gestarum gloriâ præstitit, & ab eo per omne vitæ tempus dissensit. Quanquam etiam diversa fortuna, nec idem vitæ spatium ab aliis causis proficisci possit, ut posteà dicemus.

XXIX.

Insuper experientia huic etiam suffragatur Pronunciato, gemellos una conceptione & unâ secundinâ gaudentes non statim á matre uno nisu eodemq; tempore educi, simulq; nasci, ut & rectè *Quintilianus decla. 8 in geminis languentibus* ostendit, quando inquit: *Gemini nontàm pariter in lucem de maternis exsiliunt visceribus, ut illos eadem origo signaverit. Quantum enim putas interfuisse temporis, dum primum uteri pondus egeritur, dum parumper exonerata vitalia altera rursus homine laxantur.* Exemplo nobis potest esse historia Biblica gemellorum Perez & Zerah, quorum *Gen. 38* fit mentio. Etenim de uno gemellorum memoratur quod manum (perrupta secundinâ & suo amiculo) exseruerit, & quod tunc obstetrix ejus manui purpureum filum circumligaverit, existimans, hunc fore primogenitum. At ille manum

 suam

suam reduxit, & egressus est alter frater, qui Phares seu Perez appellatus est. Post hæc (inquit *Moses*) egressus est frater ejus, super cujus manum erat coccinum, qui nomen Zerah sortitus est.

XXX.

Hanc ob causam accidere potest, ut intra unum atq; alterum minutum temporis (quod in cælo semigradum Æquatoris efficit) duo diversæ naturæ Planetæ unus post alterum oriatur, & Horoscopum, (qui Significatores primarii sunt temperamenti Nati) occupet, & duos gemellos fratres diversi temperamenti, coloris, & quę temperamentum consequuntur, indicet.

XXXI.

Proinde quod partum gemellorum Esavi & Jacobi attinet, de quo *Gen.* 25 agitur, quia natura Esavum ruffum (qui color sanguinarium ejus ingenium, iram & furorem juxta *Procopium in Commentar. in Genesin*) corpus pilosum hispidumq; (quod naturam robustam, libidinosam & subdolam secundum *Aristotelem lib.* 4 *de Gener. animalium* indicat) formavit; contrà Jacobus benè coloratus & glaber exstitit, quâ signaturâ ejus humanitas, lenitas, moderatum temperamentum & ingenium exprimuntur: ideoq; non absurdum est dicere cœlum eundem characterem his gemellis disparis temperamenti meorumq, impressisse, ita ut signa physiognomica cum cœlestibus consenserint. Nam Jacobum post Esavum natum esse Scriptura expressis verbis affirmat: Et mora Esavi extra uterum, ex qua forma ejus innotuit, ut ex forma nomen accepit, aliquod temporis interstitium licet exiguum, supponit. Nam si Dnn. Theologi ob textus evidentiam urgent, Jacobum apprehensione plantæ fratris simul exiisse, nec manum retraxisse, ut de Zerah *Gen. 38. cap*: memoratur: nihilominus tamen unum atq, alterum temporum minutum facilè effluere potuit tum ob moram, tum quod alter gemellus Jacobus secundò genitus fuerit. Quocirca, quum circa tempus nativitatis horum gemellorum, quod secundum Chronologiam sacram incidit in annũ Per. Jul. 2933, (annis 1781 ante Ær. Chr.) & quidẽ circa Calendas Julias jam dicti anni, & secundum nostras Tabellas Astronomicas, ♂ tunc versatus fuerit in 24° 5′ ♋ non procul à Stella in asterismo ♌is, quæ juba villosa ♌ dicitur; ♃ verò eodem tempore reperiatur in 24° 39′ ♋ idcircò non absurdè pronunciamus, tempore partus Esavi ♂ ipsum Horoscopum cum stella fixa occupâsse, & hac villosâ ruffâq; formâ ipsum signi-

signâsse: paulo post verò, uno atq; altero minuto temporis elapso, successisse ei ♃ in eadem parte Horoscopi, quâ Jacobus, alter frater, natus est, à quo Planeta nempe Jacobi temperamentum indigitatum fuit. Astrophili ad jam memoratum tempus ex Tabb. calculum subducent, & non aliter rem se habere deprehendent. Hinc apparet etiam, quid respondendum sit ad objectionem *D. Augustini, quam lib. 5. de Civ. Dei cap. 3, 4 & 5.* contra Astrologos ex hoc capite 25 Gen. urget, quasi intra tam breve tempus nihil in cœlo mutari potuerit. Scimus enim quod Planetæ in Horoscopo constituti sint primarii temperamenti Nati significatores, unde ♂ in horoscopo ♄em præcedens Esavi temperamentum & ♃ paulò post sequens Jacobi complexionē indicare potuerit. Non tamen hâc responsione aliquid absolutæ Omnipotentiæ divinæ detrahere, quasi ea non sine astris tam diversas naturas in hisce fratribus ex una conceptione natis formare potuerit, neq; etiam omnes Astrologorum vanitates defendere volumus: sed hoc tantùm contendimus, characterismos corporum diversæ formæ horum gemellorum cum characterismo cœli eodem tempore consentire potuisse. Et quamvis certum sit, scientias naturales in dubiis debere se prius accommodare ad sensum communem S. Scripturæ, Sanctorum Patrum & Dnn. Theologorum, quàm aliquid temerè effutire: nihilominus tamen & hoc ab omnibus admittitur, ea quæ vel in Scriptura, vel inter Theologos de rebus naturæ controversa sunt, si naturalis aliqua evidentia accedit, pro ipsa tam à Theologia, quàm S. Scriptura stari. Scimus enim contra veritatem naturalem, neq; Scripturam sacram neq; Theologiam unquam aliquid enunciare. *Divus Nazianzenus*, quum Athenis Julianum Imp. Apostatam illum vidisset, faciem, mores & sermones ejus considerasset: ut ipse in *Orat 2. contra Gentiles p. 306 in editione Græco-Latina* scribit, vaticinatus est, eum fore talem, qualis postea factus est: *Et*, inquit, *si adessent, qui tunc mecum fuerunt, & eum vidissent & audivissent, testari possent, me hanc edidisse vocem: Quantam pestem Romana Monarchia nunc alit!* Quemadmodum igitur hujus Apostatæ (qui *Cardano* anno Chr. 332 mense Aprili circa conjunctionem ♂ ☿ & ☉ in ♈ creditur natus) cum Physiognomia (qualem nobis præfatus Divus Pater eam describit, & ex eo *Cardinalis Baronius ad annum Christi 354. num. 4* repetit) consensit: ita quoq; verisimile est, non disparem characterem cœlestem & naturalem hosce gemellos accepisse.

 XXXII. Insu-

XXXII.

Insuper ex autoritate & observatione *Ptolomæi lib. 3 Apotel. c. 6. Julij Firmici lib. 3 Astron. c. 6. & lib. 7. c. 7*; nec non *Pontani lib. 10 de rebus cœlestibus c. 6.* constat, pro varietate positus Planetarum & diversa irradiatione Horoscopi diversam naturam sexus, modò masculini, modò fæminini, modò utriusq;, unde Hermaphroditi nascuntur, significari, vel aliam notabilem mutationem in membris genitalibus, quæ progressu temporis vel amplificari, vel extenuari potest. Hinc *Pontanus l. d.* scribit; se aliquando ex *Antonio Panormitano* audiisse, quod Franciscus Philelphus homo libidinosus, cujus thema genethliacum apud *Cardanum genit. 3.* exstat, tres testiculos habuerit: id quod haud dubiè à charactere cœlesti, nempe conjunctione ♂ ♀ propinqua in prima decade signi ♋ nostro vertici proximi significatum est, unde & strenuus in re venerea habitus est. Idem quoq; *Pontanus c. 5. ejusdem libri*, ut & *Hieronymus Montuus lib. 1. de Medicina Theoret: c. 6.* aliiq; narrant, mulierem cum primum filium genuisset, virile membrum intra naturam muliebrem adeptam esse, & cum ancillis rem habuisse: quod membrum tamen, ut rectè monent *Haretius lib. 4 Anat: c. 4.* & *Antonius Merindolus Exerc. 4. Anat.* non sexus mutationem, sed incrementum ob novam alimenti accessionem, illius membri, quod Græci in natura muliebri κλειτόριν appellant, obtinuit, ob cujus prominentiā & distensionē à sanguine spiritibusq; cum aliis mulierculis coire, & eandem voluptatem, quam impuberes & steriles viri comprimendo fœminas sentiunt, percipere potuit: Nulla tamen hic seminis ejaculatio, nulla conceptio & generatio subsecuta est. Talis etiam haud dubiè evasit muliercula Abderis Pharethusa, Pythæi conjux, cujus mentionem facit *Hippocrates lib. 1 Epidem.* Nam quum hæc per juventutem fæcunda fuisset, viro ejus exulante & mensibus diu deficientibus non solum dolores & rubores ad articulos incurrit: sed & corpus ejus virile est redditum (ut addit Hippocrates) eo modo quo altera mulier, universum etiam corpus hirsutum & vox aspera evasit, barbaq; enata est.

XXXIII.

Quidam quoq; reperiuntur sub iisdem Aspectib⁹ nati, qui Sexus utriusq; membra habent, cujusmodi exempla recitant *Columb⁹ l. 15 Anat, Schenkius l. 4. observ.*

observ. medic. Marcellus Donatus lib. 6 histor. medicæ mirab. c. 2. Et hi vocari solent Hermaphroditi, in quorum genituris constellationes ☿ deprehenduntur efficaces cum Planetis calidæ & frigidæ qualitatis: in plerisq; tamen alteruter sexus, sive is sit masculinus sive fœmininus, prædominari solet, etiamsi tales personæ quandoq; fæminini sexus prędominium mentiantur, quum tamen postea effectus masculam generationis potentiam pręvaluisse testetur. Hujusmodi exemplum *Hector Boëthius lib. 18 Histor. Scotiæ p. 381* de Hermaphrodito recitat, qui ancillæ habitu incessit, & tamen virilia opera exercere potuit. Hinc filiamfamilias, in oppido Scotico, cujus parentibus sub specie famulæ servivit, communi cum ea lecto utens, prægnantem reddidit. At re compertâ dignas luit pænas: viva enim in terra defossa est. Sexus tamen discrimen frustrà quærunt Astrologi in cęlo, ut rectè monuit *Kepplerus l. 4. Harmon.*

XXXIV.

Quod si contingat duos vel plures nasci unà horâ & eodem momento in eadem patria vel non procul dissitis locis sub auspicatis corporum cœlestium radiationibus: sitq; alter filius Regis, alter subditi vel villici vel servi, tunc non statim ab astris indicatur, utrumq; ad eundem sublimitatis gradum ascensurum: siquidem configurationes cælestes considerandæ sunt secundum rem subjectam quæ ob qualitates liberas animæ rationalis, & ob certos gradus rerum sublunarium recipiunt majus & minus: Et præterea actiones humanæ astris directè non subjiciuntur. Filius igitur Regis poterit evadere Rex, Subditi autem filius ad magnum honoris quidem gradum, at inferiorem evehi poterit. e. g. Meminit *Johannes Baptista Codronchius* Medicus Italus *in lib. de Climactericis annis cap. 8.* Philippum II Regem Hispaniæ Caroli V. Imp. filium, nec non Hippolytum Aldobrandinum, Patricii Florentini gnatum, anno 1527 d. 24. Maji h. 4 p. m. sub iisdem Aspectibus felicibus, nempe conjunctione ☉♀ & ☿ in ♊ supra reliquos elevatorum natos esse: Ille magnus Rex Hispaniæ; iste Pontifex Romanus electus est, & Clementis VIII nomen accepit; non tamen ambo eodem tempore denati sunt; siquidem Rex anno 1598 mense Decembri; Pontifex anno 1605 mense Martio fatis concessit.

XXXV.

Ex adverso quoq; docet experientia, quod eodem tempore & iisdem horis

ris nascantur in toto mundo Domini & servi, Reges & inopes, &, ut ait *Plinius lib. 4. nat. histor. cap. 45.* quod multi sub idem momentum nati artes utilissimas, multi ignominiosas exerceant; nonnulli æternam infamię labem subeant mortemq; turpissimam, alii verò cum sempiterna laude obeant morte placida. Stultitia enim est, seu, si mavis dicere, insania, rerum humanarum actiones & gubernamentum cœlo velle unicè adscribere: quandoquidem maximam actionum diversitatem & contrarios eventus contraria educatio, doctrina, exempla & consuetudo inducere queunt. Bona educatio, institutio laudabilis, exempla virtutum, consuetudo & conversatio cum hominibus virtute præditis, eorum imitatio & exercitatio in honestis actionibus, excitant bonos ingenii judiciiq; igniculos ab astris significatos, & instigant animum ad subeundos laudabiles labores; non enim astra inspirant singularem facultatem vel necessitatem virtutes exercendi. Contrà prava educatio, doctrina perversa, exempla mala, conversatio cum vitiosis, consuetudo malorum & exercitatio bonos mores depravant, bonosq; igniculos naturæ supprimunt, tandemq; exstinguunt.

XXXVI.

Sic qui nascuntur sub tempus multorum aspectuum, evadunt plerumq; laboriosi & industrii, sive ad opes accumulandas, si inde à pueris assuefiant, sive ad Remp. Scholamve aut Ecclesiam gubernandam, si accesserit salutaris doctrina. Sin minùs, eaq; defecerit, tales quoq; homines Ecclesiam, Remp. & Oeconomiam graviter conturbare & enormiter labefactare possunt. Inde & diversos contrariosq; & fortunæ & vitæ sortiuntur exitus, *Kepplerus lib. 4 Harmon. cap. ult.* refert, se nosse fœminam, sub iisdem pene natam aspectibus cum ipso, quæ fuit inquietissimo ingenio, quo turbaret totum suum municipium, sibiq; causa miseriæ deplorandæ exstitit. Sic & *Cardanus in comm. in librum 4 Apot. Ptolomæi text. 72 pag. 480* in medium producit thema cujusdam, qui natus est anno 1510 die 10 Augusti circa meridiem, & eundem ferè positum astrorum habet, quem ego natus eodem die & hora. Ille autem de hæresi accusatus anno ætatis 37 ubi ☉ ad corpus ♄ directione pervenit, vivus combustus est. At in themate meo genethliaco ☉ itidem ad ♄ perveniens annò ætatis octavo lapsum mihi ab alto minatus est, quo integrum annũ ferè decubui. Nunc autem Dei gratia annũ ago 48, Deo commendans actiones meas, eumq; invocans, ut me in salutari cognitio-

tione Salvatoris mei adversus omnes hæreses conservet, & opera manuum mearum promoveat. In hoc voto cæpta mea aggrediens & sic discedens malè mori non potero.

XXXVII.

Quamobrem astra in voluntatem hominis & liberum arbitrium indirectè & per accidens agunt, dum directè temperamentum significant & disponunt, sensusq; in consensum trahunt. Mens excitatur à sensu in amorem vel odium vel iram & cæteras animi passiones, nisi à recta ratione gubernetur. Et quia homines ferè magis sensitivum appetitum, quam dictamen rectæ rationis sequuntur, multa fiunt more beluino, multaq; rationi dissentiunt, quorum astra solæ sunt occasiones & inclinationes. Sic ☉ oriens neminem cogit surgere de lecto, & occidens neminem ad somnum: Interim dum ratio suadet ☉ lucentem vigilanti plura commoda quam dormienti præstare, & absentem plura dormienti quàm vigilanti, fit, ut ortus ☉ diesq; nos admoneat de surgendi tempore, & occasus noxq, ad recipiendum in lectum: Contrà ebrius morbidusq, potest diem in noctem, noctemq, in diem convertere. Itaq, connexio naturalis, necessaria & immediata actionum humanarum cum cœlo nulla est.

XXXVIII.

Nihilominus tamen Astrologiæ sua conjecturalia Prognostica & principia ex temperamentorum qualitate deducta permittenda sunt. Nam homines plerumq, vivunt secundum sensum alteratum ab astris & temperamento, non secundum mentem & rationem, multò minus ut Christiani per regenerationem & renovationem Christo insiti. Hinc enim homini tormentis sævissimis & maximè diuturnis subjecto vix extorqueri potest, ut vera fateatur. Quod si tanta vis malitiam hominis non potest frangere, quantò minus eum astra suaviter agentia ad bonum excire poterunt. Hinc videmus, quanta sæpè mala ex temeritate, ex intemperantia, ira, libidineve proveniant, quæ omnia nec Astrologus, etiamsi omnem influxum ♄ & ♂ recenseat, poterit explicare, ita ut omni exceptione verius sit illud effatum Dei Gen: 6 ℣. 5.

XXXIX.

Proinde, quia turbato temperamento, ut *Galenus in peculiari libro* supra citato docet, affectus quoq, & spiritus turbantur, fit, ut & mores in deterius vergant, Nam hominum actiones

Hinc

Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudentq; nec auras
Respiciunt, clausi tenebris & carcere cęco.

Quibus *Poëta lib. 6: Æneid.* quatuor animi perturbationes complectitur, quæ ex intemperie ortæ mentem hominis turbulentam efficiunt. Qua de re quoq; agit *Lemnius lib. 1. de occ. naturæ mirac. c. 12.* Et quia stellæ ad temperamentum, ad ejus turbationem & morbos generaliter confluunt, natæ sunt inde tam variæ Astrologicæ prædictiones, quæ omnes, ut non contemnendæ & rejiciendæ, sic & non omnes sine delectu recipiendæ & comprobandæ sunt.

XL.

Harum nonnullarum prædictionum veritas movit *Thomam Campanellam*, ut, licet juvenilibus annis Astrologorum fuerit inimicissimus, & multa contra ipsos (sicut meminit *lib. 4 de sensu rerum c. 20*) scripserit: tamen postea ex infortuniis suis, multa ab illis vera fuisse prædicta ipsi, didicerit, ipsemet quoq; decem annis geneses examinare & dijudicare cœperit, & dehinc anno Christi 1629 libros sex Astrologicos Lugduni Galliæ impressos evulgaverit, de quibus *Johannes Gerhardus Vossius lib. 2. de orig. & progr. Idolot. c. 47* ita judicat, quòd possint esse instar omnium Astrologicarum prædictionum, & quod nemo hactenus præceptis Astrologiam meliùs constrinxerit. Ipse tamen *Campanella sub finem præfationis in Astrologiam* non diffitetur, Astrologos ab exordio mundi ad nos usq; non suffecisse, Astrologiam totam rectè conficere, ideoq, posteritatem suis observationibus non levem allaturam operam, eo quod nemo sibi in tanta cœli varietate perfectam doctrinæ Astrologicæ expositionem, remotis omnibus ἀναιμολογήτοις queat arrogare.

XLI.

Manet ergò hoc, configurationes Stellarum in genituris semper aliquid agere, & quidem diversis modis pro recipientis & utentis natura. Nonnulli enim ab his instigantur ad appetendum & sectandum bonum secundum sensus, quod tamen revera sæpe malum est: nonnulli ad eligendum bonum secundum rationem, quod reapse & verè bonum est: sicut videmus, eandem procellam à cœlo immissam alios in populosa navi ad blasphemias & dira provocare, alios ad vota & preces. Hinc aliquid Astrologus de arbitrariis, licet non infallibiliter, possunt judicare. Inde etiam fit, quod mul-

multi ♄i & ♂is radios cum ☉is ☿iq; mistos & in genesibus expressos convertant ad utiles disciplinas capessendas, ad eruenda naturæ arcana, in quibus acrimonia ab hisce configurationibus additur. Quod si & ♃ accesserit, eò magis ad physicam & Mathematicas disciplinas impellentur: ☽aq; vel apud fixas validas vel in forti radiatione reliquorum Planetarum deprehensa, facultatem Animæ imaginatricem ad apprehendas & proponendas varias imagines naturæ consentaneas excitabit: Alii sub iisdem Aspectibus nati ad alia vitæ negotia suscipienda & alacriter urgenda stimulantur.

XLII.

Vitæ autem impietatem vel pietatem Astrologi ex astris divinare non queunt. Neq; enim Saturni livor, neq; Martis rubor, neq; Jovis candor, velut in Pandectis, & tanquam pœnarum genera vel honorum, peccatis virtutive hominum debita, inscripta sunt, ut loquitur *Kepplerus lib. sæpe dicto 4 Harmon. cap. ultimo.*

XLIII.

Quin & attendendi sunt ab Astrologis tales eventus, qui fluunt ex caussis universalibus & externis. Hinc multi, quorum planè dissimiles sunt genituræ, simul in uno prælio interficiuntur, aut in contagio aut naufragio moriuntur, aut seditionibus impliciti simul opprimuntur. In ejusmodi enim casibus regula *Ptolomæi*, quam *libro 2 Apotel. cap. 1 text. 2.* inculcat, tenenda est: Universales causas esse potentiores particularibus, & majorem vim efficaciamq; iis inesse.

XLIV.

Universales autem causæ sunt: Cometæ, novæ Stellæ, Conjunctiones magnæ, Eclipses ☉ & ☽ & alia rariora cœli ostenta, & phænomena, quæ sæpe universis regionibus & urbibus diversis bellorum, tumultuum, pestilitatis, annonæ caritatis, diluvii, tempestatumq; magnarum clades portendunt. Talis fuit Cometa ingenti caudâ præditus anno 1618 visus, qui tot tumultus bellicos in Europâ subsecutos & tantam hominum stragem prænunciavit, ita ut in diversis præliis sæpe aliquot millia hominum ceciderint.

XLV.

At contra hanc Regulam docti viri excipiunt, & ex ea Astrologiam mani-

nifestæ vanitatis arguere volunt. Existimant enim coeli astrorumq; interpretes hoc effato satis ostendere, hanc eorum disciplinam parum habere veritatis, multumq; distare à Medicorum consiliis & prædictionibus, quæ etsi quandoq; fallant, non propterea contemni universa ars medendi mereatur. Quid enim, ajunt, probabile Astrologi prædixerint, si inclinationes humanæ semper causæ cesserint universali? Ad hanc objectionem nos reponimus) manere prædictionem Temperamenti & earum rerum, quæ hanc crasin sequuntur, etiamsi mortis genus & tempus certò prænunciari nequeat. Libenter enim concedimus, Astrologum semper de morte hominis quatuor illas latere circumstantias, nimirum, exactum tempus, locum, statum & modum. Propterea dicimus, à Chaldæis Astrologis hic turpiter erratum esse, dum (sicut *Cicero lib. 2 de Divin.* meminit) Pompejo M. M. Crasso, Julio Cæsari aliisq; prædixerant, neminem eorum, nisi in senectute, nisi domi, nisi cum claritate nominis esse moriturum. Interim tamen prædictio de hoc vel illo morbi mortisq; genere, quod à complexione dependet, non statim temeraria, inanis & superstitiosa censenda est, si tantum Astrologus dicat, se suspicari & æstimare, hunc natum facilè in talem morbum, & forsan morbi pedissequam mortem (nisi valetudinis suæ curam habuerit) posse incidere e. g. in febrem ardentem, malignam & pestilentem, eò quòd calidæ & siccæ qualitates prędominentur in nato, & quod Horoscopus circa hunc vel illum annum directione ad corpus ♂ perveniat: se namq; aliquot exemplis edoctum esse, ad similem astrorum positum & directionem sępe ejusmodi eventum subsecutum esse: hinc & se non dissimile quid timere.

XLVI.

Hoc pacto nihil divinæ Providentiæ, nihil liberę hominis voluntati, nihil ipsi Astrologiæ causæ præjudicatur. Etenim occurrentibus causis tam universalibus, quàm particularibus ad declinandum malum eventum, etiam secundum *Ptolomæi præceptum lib. 1 Apotel:* ad orationem confugiamus, quod monitum *Divus Thomas prima parte Summæ quæst. 110* hac stabilit ratione: Quoniam Deus est fatorum autor, omniumq; causarum caussa, idcircò qui se ad Deum erigit, supra astra, & omnes causarum particularium universaliumq; indicationes evehitur, tristibusq; se subtrahere potest casibus; quemadmodum is, qui Regis amicitiam, favorem, subsidiumq; ambiit

ambiit & impetravit, decreta judicum inferiorum & ministrorum, Regi subditorum, evadit, dum Regem habet propitium: Eodem modo & is, qui Deo sincerâ fide adhæret, non Cometas, Eclipses, novas stellas, conjunctiones magnas, directiones locorum Hylegialium ad Planetas, calore vel frigore excedentes, vel deniq; alia tristia cœli phænomena metuit. Hinc Deus precibus piorum motus, naturæ cursum non infrequenter impedit, ut ex illo impedimento tutelæ boniq; quid suis procuret, quod periclitantibus, si placent, bono cedat, sin mali sint & displicent; justæ vindictæ modum impleat, quippe, secundum *Pauli* effatum, *c. 8. Roman.* diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quâ de re in locis Theologicis de Providentia Dei & de termino vitæ à Dnn. Theologis plura proponuntur ex sacris. Deinde quando mens humana cognoscit ex similibus genesium exemplis, inesse Themati natalitio inclinationes ad febres, ad temeraria cœpta, & ad alios infortunatos eventus, occasionem harum rerum vitare poterit. Hinc apud *Diogenem Laërtium* legimus, quòd Socrates, Athenis sęvissima peste grassante, cum infectis impune conversatus sit, eò quòd se adversus hæc contagia singulari temperantia pręmunivisset. Hac ratione quoq; *Thomas Campanella* (ut scribit *lib. 7 Astolog. c. 6. art. 7.*) Johannem Alphonsum filium ab occursu diametri ♂ in ☽ Aphetam tutum servavit, licet ipse Campanella, eadem directione anno 1626 superveniente, ægritudinem incurrerit, & postea etiam in carcerem conjectus sit: se enim tunc omnia remedia adhibere non potuisse dum in itinere versaretur, subjicit.

XLVII.

Et hoc est, quod etiam *Ptolomæus initio suorum Apotel.* inculcat, inquiens: δύναται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποτρέψασθαι ἐνεργείας τῶν ἀστέρων ὅπερ ἔσω εἰδήμων, τῆς φύσεος αὐτῶν καὶ προπαρασκεύασαι αὐτὸν πρὸ τῆς συμπτώσεως τῶν ἐνεργειῶν. h. e. potest is, qui sciens est, multos stellarum effectus avertere, quam naturam earum noverit, & seipsum ante adventum illorum præpararerit. Astrologus verò sobrius inevitabilem necessitatem, nullumq; fatum Astrologicum ex cœlo deducit vel stabilit, quemadmodum nonnulli gentiles & alii eo impietatis progressi sunt, de quibus Poëta conqueritur:

Astrologi tribuunt stellarum hæc omnia fatis. Et *Manilius*:

— — — Astrologûm schola quædam
Fata quoq; & vitas hominum suspendit ab astris.

Hinc secundum *Oweni Poëtæ* effatum fatui censendi sunt, qui fatum Astrologicum defensum eunt; Nam

Fata regunt fatuos, sapiens dominabitur astris,
Dum se consilio, non fato, rite gubernat.

XLVIII.

Manent tamen, Astrologiæ quędam Physica Prognostica, quæ, quò remotiora sunt à sensibus, quàm medica, eò quoq; illis sunt difficiliora. Multa quidem in Astrologia sunt explicata & in sano sensu limitata, multa quoq; adhuc latent, quia (ut scribit *Kepplerus num. 36 Tertij interv.* Astrologia pauciores hactenus habuit cultores, qui legitima principia veritatis Astrologicæ rectè sectati sint, quàm Medicina: unde quoq; ad tantum perfectionis gradum nondum pervenit. Et quoniam de die in diem nitidior evadit, idcirco principia quoq; aliquot experimentis confirmata acquirit, quæ certis regulis includi solent.

XLIX.

Qui verò specialia gestit ex Genesi cognoscere, ejus curiositati opponimus cornutum Syllogismum Phavorini, qui apud *Agellium lib. 4 Noct. Att. cap. 1.* reperitur. Nam tum Astronomi, tanquam fatum Stoicum suas prædictiones venditant, & vel adversa vel prospera infallibiliter prædicere volunt. Si prospera prædixerunt & fallunt, miser fies frustrà illa expectando, quæ non accidunt: Si adversa pręnunciant & mentiuntur, miser fies frustra timendo. Sin verò eventus responderit malis prædictis, tunc ex animo miser fies, antequam ex fato; quòd si felicia promittunt, eaq; eventura sunt, tunc planè duo erunt incommoda. Nam primò exspectatio te spe suspensum fatigabit, deinde futurum gaudii fructum spes tibi jam pręfloravit. Noli igitur, ô curiose homo, futuros speciales casus fortunæ tam prosperę quàm adversæ ex tuo themate genethliaco tibi prædici.

L.

Verumenimverò, qui Phavorini illationem ad omnem prædictionis Astrologicæ inutilitatem vel futilitatem arguendam vult extendere, is imperitè agit. Nam bona & mala quę hoc vel illud temperamentum, hanc vel illam Directionem consequi possunt, hoc pacto vel promoveri (si bona sunt) vel impediri, (si mala) queunt. Sapiens enim, (ut ait *autor Centiloquiorum apud Ptolemaeum Centil. 5 & 8.*) confert cœlesti operationi, quemadmodum

modum bonus agricola agro, illum arando expurgandoq; : Sic enim sterilitatem ejus removet, & fœcunditatem provehit. Hoc pacto inclinationes malorum, quæ à stellis portenduntur, avertere & vitare, bonorumq; promovere & augere non impossibile erit. Etenim proventus terræ, fructusq; è satis seminibus pleniores uberioresq; solent esse, si Agricolæ vigilantia cultusq; accesserit: Sic & homines pravos impetus ad iram, libidinem & mala, quæ inde proveniunt, salutari disciplina, institutione bonorumq; imitatione cohibere & supprimere poterunt. Nam in themate genethliaco si occurrerint validi radii ♂ ☉ & ☿ itemq; ☽ subfixis de ♂ natura, huic nato quidem igneum temperamentum conciliatur, & inde quoq; naturalis inclinatio ad iram, pugnam & contentiones. Quando verò is rectè in morali Philosophia & Aretologia, nec non Theologia probè fuerit informatus, tunc simul incipiet, si non perfectè primos, tamen secundos iræ indignationisq; motus frenare, eosq; rectæ rationi subjicere, ita ut ratio præsit, & Appetitus obtemperet. Ex quo utilitas cognitionis Temperamenti elucet. Rectè igitur Poëta:

> Qui sapit, ille animum fortunæ præparat omni
> Prævisumq; potest arte { juvare bonum / levare malum.

Et Johannes Narsius, elegans ille Poëta, in Miscellaneis suis non minus scitè, quàm ritè canit:

> Displicet haut studium, modò non ex sidere fatum
> Fabricet, & quæ sunt libera, lege liget.
> Si vetus hoc maneat; Sapiens dominabitur astris
> Præcipuè astrificis provida cura Dei. Et alius;
> Et pius & sapiens semper dominabitur astris,
> Quæ inclinare queunt, cogere sed nequeunt.

LI.

Sic & Hippolyto Aldobrandino, Florentino Patricio & Cosso Italo ab Astrologis magna felicitas in vita prædicta fuit, unde uterq; se Romam contulit, uterq; etiam Pontificatum adeptus est, scribente *Campanella lib. 7. Astron. cap: 1. art. 4.*

LII.

Proinde *Kepplerus in proœmio Ephemeridis ad annum 1622* sapienter & præcla-

clarè: Non agunt, inquit, stellæ in fortunam hominis, quasi seorsim extra cænaculum mentis humanæ coëuntes ad consultandum; sed Animus est ipse, qui cum positu astrorum harmonicè conspirat, occasionibus inhiat, ingentiaq; suscipit, pro indicatione configurationum cœlestium. Nam ubi operosi sunt radii in Genituris & Revolutionibus, ibi expectant Natum multi labores, pericula, vigilantia, consilia mascula & eorum fructus: contrà etiam, nisi illa consilia valent, ruina, si nimirum secundum Ennium:

Tollitur è medio Sapientia, vi geritur res: tunc enim vis mole ruit sua. Steterunt illa (pergit *Kepplerus l. d.*) stabuntq; dum suffragiorum arbitra erit Prudentia. Nulla igitur est vis astrorum, nulla inevitabilis necessitas, nullumq; Stoicum fatum inde astrui potest. Qui monitus à themate genethliaco censet utendum tempore, is secundum rationem agit: & quòd non horreat etiam gravem rei molem, id est à consensu naturali cum astris; quòd incolumis hoc facit, à Prudentia. Omnia verò à Deo primo & mentium & virium motore perpetuoq; moderatore, cujus astra sunt instrumenta.

LIII.

Quocirca quando Fati Astrologici patroni & fabri ejusmodi exempla proponunt, quæ necessitatem eventuum videntur probare, vel ea sunt ficta, vel ob peccata hominum à Deo immissa, vel ob superstitionem nimiam à Diabolo ex permissione Dei commissa. Ejusmodi fati fatui Astrologici falsam historiam recenset *Sethus Calvisius ad annum Æ. C. 1531* de Johanne Stöfflero, Mathematico olim in Academia Tübingensi, quasi is ex lapsu, quem certò prædixerat, non tamen declinare poterat, mortuus esset. Etsi enim *Hieronymus Wolfius in appendice Ephemeridum Cypriani Leovitij* de Stöfflero memorat, quòd quodam die sibi periculum à ruina imminere præviderit illudq; incurrerit: tamen, quod illa adeò gravis vel lethalis fuerit, frustra additur à Calvisio, quippe D. Andreas Rüttelius, auditor & discipulus olim Stöffleri genesin ejus *Centuria prima geniturarum natalium-horarum D. Rudolphi Camerarij gen. 69* proponit, atq; ibidem refert, eum senio confectum Blabiræ (quò bonus ille senior cum aliis Professoribus Tübingensibus & alumnis Academiæ pestis vitandæ causâ concesserat) febre pestilente fuisse correptum, & confectum anno ætatis 78. Postea verò corpus ejus Tubingam translatum, ibidemq; honorificè sepultum esse. Idem etiam tradit *M. Crusius in Annalibus Sveviciis pag. 3. lib. 11. cap. 5.* Exem-

plum

plum cujusdam Aſtrologi, qui nimiâ curioſitate deceptus ſibi mortem accerſivit, memorabile recitat *Thomas Campanella lib. 7 Aſtrol.* de Valentino Waiwodio, *Autore Commentariorum in Alcabitij Aſtrologiam.* Is enim Patavii degens, cùm percuſſionem à gladio ex infauſtâ quadam directione timeret, aſſumtis prius ciborum & potus generibus in trimeſtre ſpatium in interiorem domum occluſâ januâ feneſtrisq; ejus ſeſe abdidit; interea de die fures haſce ædes prætereuntes, & exiſtimantes dominum earum peregrè abiiſſe, ſpe prædæ & nummorum, oſtiolum de nocte perruperunt, & non tantùm inventos nummos abſtulerunt, ſed & dominum in abdito loco invenientes, & clamorem ejus aut accuſationem metuentes interemerunt. Hic Waiwoda ſpretô Deô, & magis confidens ſuæ arti (ut & Plotino factum legimus) dignè periit, & eo ipſo remedio, quo mortis periculum declinare voluit, invitavit.

LIV.

Exempla eorum, qui Aſtrologiam in meram ſuperſtitionem, & tum ſibimetipſis, tum aliis credulis & ſuperſtitioſis vitæ periculum ipſamq; mortem crearunt, dum rejecto Dei auxilio cum Diabolo colluſerunt, recitat *Martinus Delrio lib. 4. disquiſit. magicarum cap. 3. ſub quæſtionis primæ finem.*

LV.

Hæc decreta Aſtrologica, & eorum neceſſitatem fatalem refutant etiam exempla Genethliacorum, qui triſtes ſibi ipſis imminere caſus non præſciverunt. Sic P. Nigidius Figulus (cujus *Svetonius in Octavio Cæſare & D. Auguſto*; *Auguſt. lib. 5. de Civit. Dei cap: 2.* meminerunt) etſi Auguſto Imp. dominium rerum prędixerit, tamen ſeipſum in exilio moriturum ignoravit: in exilio enim diem obiiſſe narrat *Euſebius in Chronico ſuo, Olymp. 184.* Ita & *Lucas Gauricus* ad ſuperſtitionem usq; Aſtrologus licet Johannem Bentivolum patriâ & dominio dejectum iri præſagiiſſet, idq; præſagium eventus comprobaſſet, tamen ſe ob hoc cruciatus violentos incurſurum neſcivit, alioquin fugâ ſe ſubduxiſſet. Etenim præfatus Tyrannus juſſit eum ex alta trochlea ſuſpenſum fune quinquies quaſſari, ut ſuæ artis pœnas lueret, recitante *Paulo Jovio in Elogiis.* Ob id *Hieronymus Cardanus*, qui quoq; plus quam oportet, Aſtrologiæ tribuit, ne in die, quo ſe Romæ moriturum prædixerat, falleret, mortem inediâ ſibi acceleraſſe creditur. *Bucholzerus in Indice Chronologico anno Æ. C. 1576.* Et quid multis, dum domeſtica quoq; no-

nobis suppetunt exempla idem probantia? Nam apud nos Patrum memoriâ celebris Astrologus, *M. Thomas Winter* nominatus, exstitit, qui judicia de genituris, petentibus communicavit, & genus mortis ex iis prædicere voluit; at in seipso idem præscire non potuit. Nam anno 1584 superiorem contignationem ædium conscendens per amplum patens foramen in pavimentum terræ graviter prolapsus est & cervicem fregit, referente *Dn. Paulo Fridebornio Consule olim nostro benè merito lib. 2. Chron. Stet. pag. 129.* Et quid de nostro *Herlicio* Astrologo celeberrimo dicemus? nam si is obsidionem, incendium & excidium Stargardiense, suumq; mortis genus, (quo facto defunctus est anno 1636 d. 15 Aug.) præscivisset, Stetini apud nos mansisset, sicuti priori anno per aliquot septimanas in ædibus Rhetianis extra portam Molendinariam, metuens Stargardiæ imminens periculum bellicum, commorabatur. Sunt ergò haud raro rerum præsagia vana!

LVI.

Quamobrem haud sine causa Deus Opt. Max. tot commonefactionibus severisq; preceptis per Mosen & Prophetas publicatis nos docere voluit, ut cautè in divinationibus agamus, ne erremus errorem Chaldæorum, Ægyptiorum & reliquorum gentilium, qui in Idololatriam paulatim prolapsi sunt, dum ex astris Deos constituerunt. Huc enim pertinent dicta Scripturæ Deut: 18 v. 10 Esaiæ 41 v. 26. cap. 44. v. 20 & imprimis c. 47 v. 13. Jer. 10. v. 2. Hisce & aliis Scripturæ dictis Deus omnia superstitiosarum divinationum genera taxat, prohibet & damnat, dum sese supra legem Dei volunt erigere. Damnat etiam perversitatem illorum, qui omnes eventus ex astris volunt prædicere, & locum, tempus momentaq; rerum præscire & prænoscere. Talia enim omnia sunt illicita, superstitiosa, vana & profana, nec artis nomine digna. Nefas igitur est de certo vitæ termino ex themate genethliaco aliquid certi velle statuere. Nam præstat, paternæ Dei providentiæ acquiescere, ut omnia, quæ imperat in verbo suo, sive de corpore sustentando, sive de animi cultu, dum tempus suppetit, ne negligamus, parati semper Domino nostro jubente exire de hoc mundo & ingredi in vitam meliorem.

LVII.

Etenim scimus ex sacris, quòd Deus velit confundere Sapientes in sua sapientia, h. e. eos, qui plus confidunt suis artibus, quam Deo. Hinc Rex

Ama-

Amasias in Medicorum arte nimis confidens morbo oppressus est; similiter Zedekias & alii: Reges in Israël & Juda perierunt, quando propriis remediis innitentes Dei monita per Prophetas ipsis annunciata spreverunt, suisq; postposuerunt.

LVIII.

Frustra igitur timentes Deum metuunt à magnis conjunctionibus & validis Planetarum configurationibus: hæc enim gentium est impietas, nec populum Dei decet, imò si hoc Christiani faciunt, nihilo gentibus sunt meliores.

LIX.

Contra, illæ prædictiones, quæ considerant naturales effectus annorum sæpe consecutos, & ex iis simile quid conjiciunt, & id divinæ legi & voluntati subjiciunt, nec aliquam necessitatem vel fatum Stoicum inde fabricant, sed Deo cœli astrorumq; Autori & Moderatori fidendum esse docent, non damnantur, sed ob suam utilitatem admittuntur.

LX.

Si enim de Hadriano Imperatore legimus, illum non tantum aliis artibus, quæ in communi vita ei necessariæ videbantur, verum etiam Mathesi & Astrologiæ operam dedisse, atq; suas actiones inclinationibus Thematis genethliaci prudenter accommodasse, ut *Theodorus Zvingerus in theatro vitæ humanæ ex Maximo* narrat; quantò magis Christianus, non adhærens fato Stoico & Astrologiæ peritus, aliquas utilitates ex observatione diligenti radiosæ siderum harmoniæ percipiet.

LXI.

Hinc *D. Balduinus in casibus conscientiæ pag. 787 & 789* scribit: Moderatè usurpatæ prædictiones Astrologicæ in nativitatibus non pugnant cum pietate, & petere themata natalitia, si sint absq; nimia curiositate, licitum: signa enim sunt astra, Deus verò supra astra. Nam sic Christianismus, pietas, fides, religio non postponitur. Credimus enim, Deum conditorem astrorum omnia habere sub manibus, & dirigere ad suorum fidelium utilitatem. Cum quibus consentiunt conclusiones *Martini Delrio lib. 4 disquisition. mag. c. 3. quæst. 1.* Quando, inquit, Astrologia judicat de genituris, non est superstitiosa, si tantùm profitetur suspicionem v. g. Suspicio est, hunc puerum fore talem, inclinabitur ad hoc, vel Horoscopus illi talia portendit &c. item, si tantúm dicat, se æstimare, quòd benè sit res cessura, & revera animo suo non plus tribuat, quàm quod verbis præ se fert:

ratio,

ratio, quia propter consideratos eventus similes ad similem astrorum positum sæpe subsecutos, licet nobis æstimare, suspicari & metuere similia, neq; ullum peccatum in hac observationis cautione, quæ est portio quædam Prudentiæ & secundum se bona.

LXII.

Astrologus verò ulterius tendens & prędicens aliquid, velut certò eventurum, quod singulare & contingens est circa cujusq; hominis conditionem, illicitè & superstitiosè agit, totaq; hujusmodi divinatio non solùm incerta est, sed & cum verbo Dei, scriptis Patrum & suffragiis orthodoxæ Ecclesię, nec non sapientum Ethnicorum ac Philosophorum manifestè pugnat, sicut judicia eorum inter alios *D. Hoë in Comm. super 8. Ps.* & *Tiraquellus in lib. de nobil. cap. 11. num:* 4 recenset. Quippe de tali prædictionis genere rectè usurpantur *D. Ambrosii verba, quæ exstant lib. 4. Hexaëm: cap. 4.* Nonnulli, ait, nativitatum tentaverunt exprimere qualitates, qualis futurus sit unusquisq; qui natus sit, quum hoc non solum vanum; sed & inutile sit quærentibus, & impossibile pollicentibus. Ideoq; tenendum est Deum ultimos & individuos humanos eventus, eorumq; mirabilem aptatamq; ordinationem sibi soli reservare.

LXIII.

Quamobrem Physicæ divinationis disciplina abstinet à certa & determinata prædictione singularium. Nam qui considerat aspectus in themate genethliaco occurrentes, quiq; temperamentum inde colligit, multa quidem probabilia de ingenio & moribus nati in genere potest conjicere, imò, quantò propius ad temperamenti dignotionem accedit, eò meliùs inclinationes morum, animiq; indolem, & alia inde dependentia conjectat e. g. Astrologus ex fausta radiatione Planetarum in genitura deprehendens, Natum non melancholia & impotentia animi laborare, sed esse alacris excitatiq; ingenii, de illo probabiliter affirmat, ipsum quoq; in ambienda bona & divite conjuge fore felicem. Fundamentum enim prædictionis, est generale: nam quia natus est boni judicii, suavium morum, nec ingratæ conversationis, hinc conjectura fit, ipsum quoq; in conjugii negotio prudenter acturum.

LXIV.

At, quod alia quæstionum capita, quæ vulgus Astrologorum de conjugio

gio proponere solet, attinet. e. g utrum conjux conterranea vel peregrina futura sit, utrum fidelis conjugi permanserit, nævum aliquem in corpore habitura sit, quot numero acceperit conjuges & quot liberos ex iis, illa omnia ex solo themate præsciri non queunt, sed ad prædictiones superstitiosas & sortilegas spectant.

LXV.

Ejusmodi quoq; merces nullius precii est, quam idem vulgus Astrologorum nobis obtrudere vult, quando prædictiones de conjuge hisce futilibus Aphorismis firmat: Dominus septimæ in Decima, si beneficus sit, si ♃ isq; in propria domo, divitem significat uxorem; ♀ in domo ♄ vetulam; ♂ in domo ♀ & trigono ☽ impudicam, adulteram & mæcham, sub radiis ☉ aribus morbidam. Nam hoc prædictionum ædificium, quod domuum dominationibus innititur, nos cum Dn. Kepplero aliisq; sobriis Astrologis valde ruinosum & lubricum censemus,

LXVI.

Hi aliiq; Canones de Parentibus, de Sexu, de Substantia, de Religione, de Magisterio vel vitę genere, de Amicis & Inimicis, de Hereditatibus, Familia, Servis, Ancillis, Animalibus & Regionibus, innumerisq; id genus aliis, à superstitiosis, avaris & imperitis Astrologis ad juvandam hominum curiositatem nimiam excogitati sunt, nimiumq; credulum vulgus decipiendum. Siquidem optant quidem Astrologi cum *Cardano ex cap. 11 de Suppl. Almanach:* Utinam mortales non amplius exigerent, quàm præstari queat, aut Astrologi non majora viribus pollicerentur: sed importuna flagitatio utrumq; fallit, illum, ad quem genesis spectat, credendo, hunc, nimirùm audendo. Etenim quia is non potuit tot rebus, quæ homini eveniunt, ex positu situq; septem Planetarum in genesi satisfacere, ideoq; adinvenit tot nugas, facies, vanasq; regulas.

LXVII.

Proinde manendum est intra naturales terminos & genuinos physicos effectus, ad quos referendus est character cœlestis, quem natus à parentibus accipit. Is enim character etiam ex Parentum thematis natalitiis elucet, ita, ut observatum sit, eum in liberorum quoq; geneses agere & influere, adeò, ut si adsint signa mortis & orbitatis liberorum in genituris Parentum, ea quoq; in liberorum nativitatibus sese exserant, licet non

ita evidenter. Hunc enim Aphorismum *Rollenhagius insignis olim Astrologus & Rector Gymnasii Magdeburgensis in suo discursu Genethliaco* aliquot exemplis confirmat. Primum enim proponit thema Henrici Ziegenmeyeri Halberstadiensis, qui ex uxore sua 22 procreavit liberos, inter quos 16 in prima ætate exstincti & 6 superstites manserunt, pleriq; autem valetudinarii. In hujus genitura deprehendit ☌ ♄ & ♀. Adducit quoq; exemplum Adami Zanderi, Reip. Magdeburgensis olim Secretarii, qui habuit 18 liberos, sed 15 ordine in flore ætatis mortuos sepeliri curavit, tribus duntaxat retentis. In hujus themate ♄ cum ☽ fuit conjunctus. Hisce meum quoq; possum addere exemplum. Tres enim Planetæ, qui ab Astrologis generationi dicuntur præesse, utpote ♃ ♀ ☽ infestis radiis ♄ ac ♂ subjiciuntur. ♃ partili trigono ♄, ♀ ⚹ ♄ itidem partili, & ☽ μοιρικῶς ✱ ♂ in signis longarum Ascensionum. Nam & ego quinq; liberos genui, & iterum immaturè in primævi ætate amisi.

LXVIII.

Suadent hic nonnulli Astrologi docti in scriptis suis Magistratui, ut in Ecclesiasticum librum, in quo dies baptismi liberorum consignari solet, curent quoq; referri tempus exactum nativitatis illorum: nam id ad hoc conferre ajunt, ut, si ejusmodi personæ officium aliquod vel Ecclesiasticum vel Politicum vel Scholasticum ambiant, ex earum genituris inde repetitis perspici queat, num ad hoc officiũ sustinendum idonei sint: itemq; si duæ personæ velint contrahere matrimonium, ex collatione utriusq; thematis judicari posse, felixne & fæcundum, an verò infelix & infæcundum futurum sit matrimonium. Atqui, quod primum electionis genus attinet, certius testimonium ex vita & rebus anteactis desumi posse, quàm ex astris certum est. Multa enim possunt intervenire, quæ bonos etiam mores depravare, vel malos emendare possunt. Sic nec posterius electionis genus attendi solet, quia in matrimonio contrahendo ita comparatum esse videmus, ut magis oculorum testimonio, si pulcrum sit objectum, manuum, si dives sit, & aurium, si sit bonæ famæ, fidatur, quàm bonitati Horoscopi & thematis natalitii: unde huic consilio Magistratus ægrè obtemperabit.

LVIX.

Itaq; si quis ex figura coeli natalitia conjecturas habet sufficientes de qualita-

litatibus Animi, is etiam conjecturam de fortuna hominis in genere faciet non ineptam, attamen conjecturam tantum, praetereaq; nihil, ita ut Astrologus in suâ conjectura propter intervenientes plures & praedominantes causas, tam Physicas, quàm Hyperphysicas, falli possit. Quandoquidem, etsi Temperamenta & propensiones, quae temperamentum sequuntur, quodammodò ex Genesi praenosci possunt, quia tamen actiones ob alias proximas & valentiores causas inclinationibus contrariae fieri possunt, eò quod fiant à libera hominis voluntate, ideoq, illi Astrologi perperam faciunt, qui causas actionum consiliorumq, humanorum astris tribuunt, contra quos non solùm *Damascenus lib: 2 orthod. fidei c. 7.* sed & alii Patres sancti graviter disputant.

LXX.

Quòd enim bona educatio, institutio laudabilis, consuetudo crebris actionibus iisdem comparata & cum bonis conversatio, mirè varient actiones humanas, id supra quoq dictum. Hinc *Cic. de Fato & Julius Firmicus lib. 1. Astron. c. 3.* de Socrate referunt, quòd, cum Zepyrus Physiognomon ei de moribus cupiditatibusq, dixisset, quos ille ex arte sua collegerat, is responderit: Sunt, ut dicis, agnosco, confiteor: Sed haec omnia à meâ prudentia ac virtutum autoritate superata sunt, & quicquid vitii corpus prae se ferebat, animus benè sibi conscius temperavit. Ubi prudentissimus vir propensionem corporis ad vitia facili confessione detexit, attamen se ea studio moralis Philosophiae emendasse adjunxit.

LXXI.

Quantò magis igitur Christianus, tanquam homo regeneratus & renovatus, in quo Christus per fidem habitat Ephes: 3, ℣. 17, pravos animi motus poterit Dei gratiâ compescere, & prohibere, ne perversae cogitationes in turpes actiones nervumq, erumpant. Nam si is fructus spiritus, quales Gal. 5. ℣. 22 recensentur, profert, hisce indubitatò pravae coguntur cedere actiones. Exemplo nobis est beatus Augustinus, de quo *Baronius in suis Annalibus Ecclesiasticis*, certis documentis ex scriptis ejus collectis probat, ipsum natum esse anno Æ. C. 355 die 13 Nov. Hoc die occurrerunt fortes configurationes Planetarum e. g. □ ♃ ♂; Quintilis ♄ ♂; ☍ ♄ ♀, quae arguunt temperamentum sanguineum. Hinc ipse *in Confessionum suarum libris* Deo confitetur ingenuè, se juvenilibus annis lascivum fuisse, & ex quadam foe-

mina filium Adeodatum procreasse, qui postea mortuus est. Verùm, postquam is ad orthodoxam religionem à B. Ambrosio conversus erat, & ab hæresi Manichæorum liberatus, magis magisq; in pietate & fide profecit, ita, ut postmodum pravis actionibus valedixerit, & egregium optimeq; meritum Ecclesiæ lumen columenq; evaserit.

LXXII.

Homo verò in naturali suo statu consideratus est secundum *Aristotelem 1. Polit. 2.* ζῶον εὐμετάβολον, καὶ ὥσπερ τελεωθὲν τῶν ζώων ἄριστόν ἐστιν· οὕτως καὶ χωρισθὲν νόμου (εὐσεβείας) καὶ δίκης χείριστον πάντων, h. e. homo est animal facilè mutabile, & quemadmodum perfectione susceptâ optimum est animalium: ita etiam si alienus factus est à lege, pietate & justitia, pessimum est omnium animalium. Hinc igitur fieri potest, ut nullis obstantibus vel indicibus astris ex bono, laudato viro, ob majorem licentiam, adulationem & invitationem ad res malas, pessimus evadere & planè degenerare possit. Ejusmodi exemplum habemus in Nerone Imp. qui initio imperii Senecam Præceptorem suum secutus est, & ad informationem ejus se conformavit, ita ut fuerit clemens, facundus, in rebus gerendis dexter & felix, dicendi copiâ promtus, adeò ut *Seneca in lib. de Clement:* valdè ipsum commendaverit, & Trajanus Imp. solitus sit dicere, procul distare cunctos Principes à Neronis quinquennio. Nam initio principatus non alium nisi justum se, liberalem, sapientem, facundum bonumq; exhibuit & probavit, graviora vectigalia vel abrogavit vel imminuit, in omnes ordines tam benignus fuit, ut & salutantes ad se admitteret, & vicissim eos memoriter salutârit, jusq; dicens nihil unquam severè faceret, multasq; bonas leges ferret, ędificiorum novam formam institueret, pro Bononiensibus sociis in senatu Latinè, pro Rhodiis & Æliensibus Gręcè peroraret. Media tamen & ultima prioribus non responderunt: paulatim enim imperatoriæ dignitatis oblitus, & intellectâ imperii potestate, se sensim ad crimina, voluptatum illecebras, libidines, conversationes consilia & auxilia adulatorum convertit; unde factum, ut postea seges exsecrandorum vitiorum, nempe impietas, sævitia, luxus, incestus, illiciti concubitus, rapinę, prodigalitas, cædes, vexationes bonorum, eversio senatus & parricidia succreverint.

LXXIII.

Ex quibus exemplis contrariis elucescit dispares & contrarias actiones in

in unum hominem cadere posse: unde homo Christianus sese supra astra elevat, in timore Dei, reginam & imperatricem bonarum actionum pietatem colit, & pariter omnis pietatis sapientięq; magistrum Christum in Scriptura sacra quærit, cum omnibus ipsius beneficiis, quem sibi imitandum proponit, & in eo veram εὐδαιμονίαν καὶ εὐθυμίαν invenit, & hoc pacto fontem omnis mali, peccatum & Satanam vincit.

LXXIV.

Astra enim per se sunt bona Dei creatura, & nihil nisi bonum operantur: malum autem, quod homo perpetrat, à corruptâ naturâ per lapsum Adami proficiscitur. Hinc Astronomus pius & sapiens plerorumq; Astrologorum superstitiosas prædictiones, vanitates, inertiam, ignaviam & sordes deridet & detestatur, sic tamen, ut siderum effectus in sublunaribus & natura humana partem Philosophiæ præstantissimam non neget, gnarus, effectus illos Siderum generales ab eventibus ipsis in rebus humanis individuis esse distinguendos.

LXXV.

Sermone quidem tritum est hoc Astrologorum effatum: *Astra inclinant, sed non necessitant*: id in sano sensu tolerari potest. Attamen si una regula Astrologica decies & pluries fallit, illa nullam inclinationis vim vel regulæ normam meretur. Præterea semper inclinatio Stellarum generalis est, & natura hominis, conspirans cum continuis aspectibus cœli, non nisi ad sobrietatem, solertiam, vigilantiam & indefessos labores invitari potest. Sic ubi ♂ tempore nativitatis cum corde ♏ suæ naturæ fixâ oritur, nullum aliud, quam cholericum temperamentum significatur, inclinationesq; hoc Temperamentum sequentes ad vehementes animi motus, excandescentiam, iramq; vergunt. Si verò talis homo se lenem, moderatum mitemq; præbet, illud habet à virtute & rectâ ratione, non à Temperamento, ita ut semper inclinatio libertatem non coactionem involvat.

LXXVI.

Quando verò vulgares Astrologicæ Regulæ has inclinationes ad nimis speciales casus extendunt, e. g. Quòd natus sub hoc vel illo signo nigris vestibus indutus sit infortunatus; quòd moriturus sit in patria vel exterâ regione; quòd habiturus sit tres conjuges; quòd homicida vel fur sit futurus, tunc illud πολυθρύλλητον: Astra inclinant, non necessitant, in abusum trahitur,

tur. Sunt enim ad hosce individuos eventus inclinationes nullæ ab astris, ita, ut si homicida vel fur velit prætendere, se inclinatione astrorum & fato occidisse, vel furatum esse, rectè possit ei responderi, eâdem inclinatione, eodemq; fato ipsum quoq; violentâ morte periturum; etiamsi utrobiq; elenchus causæ committatur. Nam rectè *Ursinus Poëta in sua Prosopopæia* cecinit:

> Sortis quisq; suæ faber est: cur, improbe, fatum
> Accusas, fati si faber ipse tui es?
> Adde, quòd ipse Deus fato meliore gubernat
> Res hominum, fidas (si sapis) ergo DEO.

LXXVII.

Conjunctionem verò mediæ censent naturæ rationem obtinere. At hæc distinctio per se & sine consideratione virium Planetarum consistere nequit. Nam quia in ♃ & ♀ color deprehenditur non nimis rubeus & pallidus creditur ab illis provenire sanguineum Temperamentum, ingenii sagacitas & bonitas, illiq; duo Planetæ salutares audiunt; in ♂ vero Soli proximo coloris calorisq; excessus, & in ♄ remotissimo à ☉ ejus defectus percipitur, hinc ♄ perhibetur frigidus & siccus, præficiturq; corporibus siccis, frigidis & senilibus; contrà ♂ sanguineo colore tinctus præ se fert siccitatem, unde bilem accendit, animi ardorem, vim herculeam corporisq; robur excitat, à quibus bella solent oriri.

LXXVIII.

Quamobrem si ♃ & ♀ inter se configurantur, vel per ☌, vel per ⚹, vel □, vel △, vel ☍, vel deniq; alium ex novis, effectus horum Aspectuum non potest esse infelix, suiq; dissimilis. Ex adverso, si ♂ radiatione aliqua ♄ jam nominata afficitur, meritò infeliciter dispositus habetur, neq; ⚹ neq; △ radius potest excedentem horum Planetarum naturam in calore & frigore benignam reddere, unde ex hisce Aspectibus ♄ & ♂ in Natis facilè bilis potest exæstuare, illiq; si ambitio, potentia & quædam impotentia, animi accesserint, ad crudelitatem, injustitiam & tyrannidem inclinari. Rursus, si unus sit salutaris Planeta, alter minùs salutaris, tunc benignum sidus etiam per quadratum & oppositum radium malignitatem sideris Saturnini ac Martialis valet obtundere & infringere e. gr. moderatus ♃ calor nimium ♄ frigus corrigere, & nimium æstum ♂ temperare potest, ita, ut ex hac

hac siderum positura Natus ad hoc vel illud agendum meliùs disponatur. Omnis tamen radiosa Planetarum harmonia inter Planetas diversæ naturæ per diversos Aspectus secundùm conditionem recipientis & Subjecti intelligenda est. Nam si hoc à Spiritu Dei, qui longè superior & efficacior est omnibus astris, regitur vel ab excellenti rationalis animæ operatione per virtutum exercitium deducitur in actum, tunc præfatæ radiationes nihil mali queunt operari: quia facultas ab intellectu manans potentioris est δυνάμεως, nempe voluntas hominis, cui nulla potest afferri necessitas, quæ adversari possit proclivitati à sideribus significatæ, sicut *Ptolemæus lib. 1. de Judic. astr. cap: 4. tex. 24 & 25* apertè docet.

LXXIX.

Imò vitiorum seges succrescens per hęc remedia in prima herba potest supprimi, ut luculenter *Autor libelli ad Cyrum fratrem, qui Centum dicta inscribitur, dicto 5. Plutarch. in Moral. Galenus in lib. de cogn. & cur. animi affect.* aliiq; clarè docent. Etenim sunt ingenia tenera velut stirpes & virgulta, quæ, si arte diligenter tractentur, & flectantur, tunc facilè

Exuerint silvestrem animum, cultuq; frequenti
Hæc quascunq; bonas artes haut tarda sequentur

secundùm *Virg: monitum lib. 2 Georg.* Et scimus hanc vocem à Deo promulgatam Gen. 4 ℣ 7: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi.* Et Salvator noster idem Discipulos suos docuit, jussitq; orare, ad impetrandam gratiam Dei, ut augeatur in iis Sapientia, & confirmetur constantia in bono. Videatur *Augustinus Serm. in fer. Pentecost.* Quò etiam spectat tota institutio & educatio puerorum adolescentumq;: nam quia magna scelera non ex vili natura sed generoso ingenio educatione corrupto proficiscuntur, ut docet *Cicero act. 2. in Verr.* ideoq; juventus salutari disciplinâ gubernanda est, ut ad bonam frugem perveniat. Et hæc causa est, cur *Galenus lib. ante nominato de cognoscendis & cur. animi affect:* suadeat omnibus Dynastis, Principibus Regibus & Monarchis, ut libenter aliquem Diogenem, h. e. liberum monitorem, qui vixerit inculpatissimè & jam ætate provectus sit, non saltem ut inspectorem actionum, sed & Censorem judicemq; admittant, talemq; virum Amicum maximum, Medicum animi & Servatorem ipsorum habeant. Nam quum nemo sine affectibus vivat, etiamsi optimâ naturâ sit præditus, ideoq; ne frequenter labatur is, qui ansam errandi

quotidie, & se legibus non subjectum arbitratur, opus certè ei erit aliquis fidus monitor, qui suo exemplo & conversatione Dynastam faciat aspirare ad viam virtutum laude cumulatissimam: ita de die in diem perfectior & sapientior ille reddetur. Plura vide apud Galen. l. d.

LXXX.

Hic finis est etiam Judicii genethliaci, nimirum, ut vitiosi animi motus reprimantur, Deus in suis genituris laudetur, ejus gloria promoveatur, homo adversus malum prævisum sibi cavere melius sciat, & vel lenius illud reddere, vel planè amoliri, quos scopos *Ptolom. lib. 1. Apotel. tex 5.* tangit.

LXXXI.

Ex his igitur haut obscurum potest esse, falsis & superstitiosis Regulis Astrologicis gloriam Dei dedecorari, Astrologiam in Matæologiam converti, hominesq; pedetentim ad Idololatriam, Astrolatriam, Fatumq; stoicum adduci. Hinc Astrologo indignum est, judicium facere de Anima, de Spiritibus, vitiis, virtutibus & meritis, ut & religione, ac si talia ab astris regantur.

LXXXII.

Igitur inexcusabilis est eorum impietas, qui configurationibus cœlestibus tribuunt Religionis dominatum, quale effatum est *Julij Firmici Materni*, qui *lib. 5. Astron. c. 3.* ait: illos, qui ♄ habent in ☊ longævos fore & in cœlũ ascensuros. Et *Albumasar lib. 2. Introd. magnæ Tract. 1.* tantas ♃ tribuit vires, ut is, qui eum in sua genesi habeat ☽æ junctum cum ☊, nunquam non impetret à Deo, quæ postulaverit. Et eò impietatis progressus est etiam *Petrus Aponensis* (quem *Bodinus l. 1 de Dæmonom:* Magorum, omnium, qui fuerunt unquam vocat Coriphæum) ut pronunciet, hunc Albumasaris Aphorismum in se ipso comperisse esse verissimum. Et major adhuc impietas Albumasaris est, quando ex Conjunctionibus magnis ausus fuit determinare finem Religionis Christianæ circa annum Æ. C. 1460 fore, quod tempus jam ante duo ferè secula effluxit: & quando *Rabbi Abraham Aben Ezra* prædixit Messiam Judæorum anno 1444 nasciturum, quo anno ♄ & ♃ magnam Conjunctionem in ♋ celebrârunt: id quod & Christiana fides nobis penitùs persuadet.

LXXXIII.

Sic *Petrus de Aliaco Presbyter & Cardinalis Cameracensis quæst. 30 in Gen. & in lib. de Concordantia Astrologica cum Theologia, (ubi agit de legibus & sectis super*

per stella Magis in Oriente conspecta,) nec non *Cardanus in Comment: in lib. 2, Apotel. & textum 54.* malè constituêre genesin Salvatori nostro Domino JESU, quasi is natus esset tempore Conjunctionis magnæ in ♈, & spicam ♍ (videatur & *Cardanus exemplo 4. geniturarum*) in Ascendente habuisset, unde nihil nisi singulare, mirificum, castum, pium, sanctum & illustre deducere voluerunt. At horum virorum sapientia certè non sine magna dementiæ, imò impietatis mixtura fuit: Nam primùm Christi nativitas juxta nostram vulgatam Æram Christianam septennium præcessit tempus Conjunctionis magnæ. Hæc enim Synodus superiorũ incidit in annũ P. I. 4706 diem 27 Decemb. Christus autem ad traditionem Ecclesiæ perhibetur natus anno Per. Jul. 47)3 die 24 Decemb. hor. 12 p. m. seu circa medium noctis. Deinde si Christus ad præfatum tempus natus est, utiq; spicam ♍ non in Horoscopo, sed XII domo habuit. Ascendit enim ad hoc tempus & latitudinem 32°, quæ Bethlehem tribuitur, 2° 35′ ♎, à quo spica ♍ ultra 7° distitit: fuit enim in 25° ♍. Adhęc, qui ex themate secundùm tempus in Ecclesia receptum erecto judicare volunt, & Christum ideò morte violenta occubuisse tradunt, quòd ♂ in 7 domo habuerit & quidem propria nempe in signo ♈, illi egregiè & artificio sanè Astrologico refutantur à *Johanne Pico Mirandulæ Comite lib. 5. in Astrol. c. 13.* Nam etsi ♂ in Occidente, & signo ♈ constituatur, non tamen statim hic positus violentę mortis pericula minitatur, præsertim quando ♃ (ut hìc est) versatur in Horoscopo, ubi opposito radio harmonico ♂is malignitati obsistit, ut & ♀ ♂em Sextili aspectu irradians, & ♃em △. Hinc necessariò Picus infert bonam mortem ex ista siderum positura Christo pronunciandam fuisse. Quarè vera passionis Christi causa rectiùs ostenditur *ex commate 7 cap. 53 Esaiæ: Oblatus est, quia ipse voluit.* Et meritò hùc spectat effatum *S. Augustini*, quod *exstat tractatu 104 in Johan. Tom. 9. Operum, editionis Coloniensis, col. 181. lit. D.* & *quod repetitur à Prospero Aquinate apud eundem August: Tom. 3. Operum sentent. 370 pag. 387 lit. B.* Non credatur, ajunt, horam passionis Domini fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante. Nom enim siderea necessitas Christo intulit crucem, non sidera coëgerunt mori siderum Conditorem, qui intemporalis cum Patre, sic tempus, quo carne moreretur, quemadmodum & quo de Matre nasceretur tempore, elegit. Hactenus Augustinus. Adde, quod de anno nativitatis Christi adhuc magna sit concertatio

 inter

inter Chronologos, dum alii ostendunt verum annum nativitatis ejus anticipare quadriennio, ut *Susliga & Kepplerus*, alii biennio, ut *Josephus Scaliger, Sethus Calvisius*, & alii uno integro anno, ut *Magister Henricus Buntingus in sua Catholica Chronologia.*

LXXXIV.

Multa quoq; alia Astrologica commenta *Picus Mirandulæ Comes* verissimis nonnullis Astrologicis argumentis *in suis 8 adversus Astrologiam libris* sustulit, quę penes eum legi possunt. Verùm, quando totam Astrologiam nititur convellere & rejicere, minus prudenter fecit, & hîc magis audiendum est judicium *B. Lutheri, quod in ultimo suo scripto, videlicet commentario Latino in Gen. folio* 7. fert, Videmus, inquit, Augustinum (adde & Picum Mirandulæ Comitem) Astrologiam totam contemnere: etsi verò ea multa superstitiosa habeat, non planè tamen contemnenda est. Versatur enim tota in consideratione divinorum, quæ dignissima est homine: Quare summa ingenia in ea se exercuerunt & oblectârunt. Et paulo ante: Hæc quia principia pulcherrimarum artium ex verisimilibus rationibus collecta continent, & ad docendum utilia, barbarum est, si quis ea negligere & aspernari velit, prę sertim quum aliquo modo cum Experientia conveniant. Hactenus B. Lutherus.

LXXXV.

Et ut hîc obiter etiam aliquid de Astrologicis Cardani scriptis moneamus, sciendum est, ipsum in tanto Aphorismorum Astrologicorum numero plus nimio quandoq; sibi ipsi fidere, quia nonnunquam ex unico allato exemplo universalem constituit regulam, nec in tanto hujus artis ambitu tantaq; varietate omnia debitâ diligentiâ dispicere potuit: imò quandoq; (ut judicat *Kepplerus in suo Tertio Interveniente num: 136*) curiosissimis Germanorum ingeniis, multas prædictiones supra modum affectantibus, illudere voluit.

LXXXVI.

Sed ut ad speciales prędictiones revertamur, de iis *Autor Centiloq.* in vestibulo rectè judicat & pronunciat: Soli Numine afflati prædicunt singularia seu particularia. Vaticinium enim tale metas Astrologiæ longè transcendit; nam Deus solus in cœlo est, qui revelat abscondita, & id, quod futurum est consequentibus temporibus *Dan. 2. v. 28.* Et si quandoq; Astrologi speciales eventus tangunt, id non ex arte, sed alio factum modo, ut eventus prędictioni responderit; idq; vel primò ex commercio cum Dæmone

mone, qui ob experientiam longissimam subtilitatemq; rarò fallitur, & sæpe quod prædicit, Deo permittente facere decrevit, ut ostendit *August: lib. 5 de civ. Dei c. 7. & lib. 2 de Gen. ad lit. c. 17.* Deinde, quia Astrologi nonnunquam familiares sunt magnis viris, & eorum, quæ illi moliuntur, conscii, possunt jactare prævisionem eorum, quę aliunde cognoverunt. Deniq; quando astutè & ambiguè in multis falsis aliqua dicunt, quæ cum exitu fortuitò consentiunt, non est mirum, inter tot sagittas, quas emittunt, unam tangere scopum, aberrantibus centum.

LXXXVII.

Quia tamen Diabolus non fine bono, sed tantùm ad fallendum homines vera prædicit; neq; abyssum illum fati penetrare potest, ideoq; talibus hominibus, qui specialia ex Genesi determinare volunt, non est fidendum. Plerunq; enim potentes decipiunt & destituunt, ita ut non immeritò *Corn. Tacitus lib. 1. hist. Rom.* ejusmodi genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax dixerit, ubi extrema fraus & noxa occupant.

LXXXVIII.

Quocirca non possum non summoperè laudare *Mecænatis* consilium, quod Augusto Cæsari quondam suppeditavit, ut legitur apud *Dionem lib. 52 Hist: Rom: p. 165 lit. z in edit. Henrici Stephani:* Divinos & Vates in Rep. prorsus esse non oportet. Multos enim hi tales, dum vera quędam, plurima verò falsa proferunt, ad res novas impellunt. Dum enim magna & blanda prædicunt & prædicant, animosq; Principum ad fortunæ fastigia volunt attollere, facilè illis peritiâ & monitis fatorum (ut iterum loquitur *Tacitus l. d.*) plenis magis creditur, quàm aliorum saniorum seniorumq; consiliis, & ad turbas resq; novas moliendas: sic Principum animi instigantur, à quibus ad scelus ab hujusmodi votis facilimè transitur. Qua de re etiam *Statius Poëta lib. 3 Thebaidos v. 565 & seqq.*

— — — at nos pravum & debile vulgus
Scrutamur penitus Superos, hinc Pallor & Iræ,
Hinc scelus insidięq; & nulla modestia voti.

LXXXIX.

Qui exempla hujus Regulæ scire desiderat, is *Disquisitiones Magicas Martini Delrio* aliquoties allegatas, præsertim *qu: 1. cap. 3. & Justi Lipsii monitum 5 Politicum adeat, ut & subnexam quæstionem: liceatne in eventus inquirere, & Va-*

& Vates aut Divinos consulere? Ergo hujusmodi prædictiones præstigiarum, non Artis nomen merentur, à qua quæstuosa mendaciorum caligine, adhortante etiam Ethnico *Valer. Maximo*, amans pietatis & scientiæ prædictionisq; naturalis jure meritoq; abstinet.

XC.

Nos ad finem properantes pauca quoq; de Directionum negotio, ceu primaria parte, quâ Judicium genethliacum innititur, addemus. Radiosa enim Planetarum harmonia tempore nativitatis multas effectuum significationes reservat in id momentum, quo observatâ situs proportione, respectu Numeri Polaris & mundanę Revolutionis diurnæ ad annuam deducitur ad partilem Aspectum. Hinc unus gradus in Æquatore & Zodiaco unum notat annum: hinc & significationes annuarum revolutionum loco ☉ natalitii accommodatarum fluunt. Si enim Horoscopus, vel Luminaria, vel ♃ ad locum radiationemve ♄ aut ♂ eo modo pervenerit, tunc unus & alter vitiosus humor in corpore redundans, sive is melancholicus, sive biliosus, sive phlegmaticus, sive etiam ipsa sanguinis plenitudo fuerit, occultis movetur stimulis, adeò, ut operationes secundùm definitum Geometricum intervallum tunc exspectandæ sint.

XCI.

Duratio namq; horum Aspectuum in omne vitæ tempus extenditur & prædictio de vitæ longitudine ab Astrologis ex hoc dirigendi modo petitur.

XCII.

Morborum autem mortisq; tempora non uni Aspectui definitè adstringenda sunt e. g. Horoscopi vel Luminarium directio ad corpus ♄ vel Martis penes unum & alterum plus minusve vitiorum humorum facultatemq; vitalem turbare potest, pro ut hic vel ille diætæ magis minusve studiosus fuit: præterea eædem directiones vitam incolumem relinquere queunt, & è contrario levis directio horum prorogatorum vitæ ad debilem radium ♄ vel ♂ appellens, consumto jam ferè vitæ nectare, instantem vitæ terminum significare potest. Quo autem momento quove die vel horâ ἐνέργεια harumdirectionum acciderit, infallibiliter prædici nequit.

XCIII.

Porrò cum directio consentit cum Revolutione & Transitu, ac in unũ conspirat tempus, tunc operationem eò certius subsecuturam Genethliacus

eus præsumit & prænunciat. Quin & Profectiones rationales Astrologus inter Transitus numerat, iisq; eousq; fidit, quatenus illis respondent: reliquum autem in profectionum doctrina, ceu cassa putamina, rejicit, nec attendit.

XCIV.

Helisæus Röslinus in libello Germanico de constitutione hodierni temporis anno 1609 publicato, hanc directionum doctrinam ex sacris stabilire satagit, contenditq; Regem Judæ Ezechiam ejus non imperitum fuisse, dum *4 Reg. 20 v. 10* legitur, ipsum petiisse à Deo, ut umbra 10 gradibus retrocederet, qui respectu latitudinis locorum 36 gr. (qualis primariarum civitatum in Judæa Poli fuit) in Zodiaco 15 gr. efficiunt: Quindecim autem gradus in directionum negotio 15 constituunt annos. Proinde hic Autor existimat Ezechiam Regem ex suo Themate generhliaco intellexisse, Horoscopum, tanquam vitæ Prorogatorem, circa illud tempus ad unum Anæretam seu Interfectorem pervenisse, unde necessariò sibi moriendum esset; impetrasse autem à Deo, ut 10 gradibus in Æquinoctiali Circulo prorogator vitæ in anteriora retraheretur contra successionem signorum, qui 15 in Signifero gradus quindecim annos æquant, per quos vita ipsius prolongata fuit.

XCV.

At hoc singulare beneficium Ezechiæ Regi à Deo præstitum, meritò inter miracula refertur, & Rösleriana interpretatio Scripturæ manifesta est ejus depravatio 1. Quia Ezechias Rex non ex sua genitura, sed verbis Prophetæ (consentiente c. *38 Esaiæ*) didicerat, instare jam vitæ terminum, & mortem esse expectandam: unde sententia Prophetæ, Dei nomine annunciata Regi, eum valde contristavit, sicut devota ipsius oratio ab Esaia allegata satis docet. 2. Quia, licet 10 gradus Æquinoctialis Circuli quandoq; in Zodiaco 15 denotent, h. e. licet progressio 10 graduum in Ascensionibus Rectis Æquinoctialis 15 in Ascensione obliqua ad latit. 36 graduum efficiant, tamen hoc non fit per omnem signorum circuitum, sed tantùm in signo ♈ & ♓; in reliquis autem non. Unde autem Röslinus probabit Regi Ezechiæ singnum ♈ vel ♓ ascendisse? 3. Quia deniq; maximum falsæ interpretationis argumentum est, quando hic Autor per 10 lineas, per quas retrocessus umbræ factus est, 10 æquinoctialis lineæ intelligit, siquidē lineæ illæ in Sciaterico Regis horaria spatia & singulæ ferè unam horam, quæ in Æquinoctiali 15 comprehendit, designarunt. Proinde hæc ex

Sacra

Sacra Scriptura à Röslino adducta sunt ἀπροσδιόνυσα impertinentia, & ad doctrinam Directionum non referenda.

XCVI.

Sed occurritur hîc etiam nobis à quibusdam objicientibus Directionum fundamentum ideo esse lubricum & fallax, eò quòd ab exacto nativitatis tempore sæpe aberret, unde & prædictiones irritæ sint necesse est.

XCVII.

Atqui sciendum est, quod declinatio natalitii thematis intra quadrantem horæ vel etiam majus spatium inferat quidem lapsum quatuor pluriumve annorum, præsertim in Horoscopi directione: non tamen statim inferre liceat totum Directionum negocium carere omni certitudine. Quandoquidem Astrologo hoc manet ex calculo Directionum, quòd prævidere possit, utrum directio in primorem ætatem, an verò in mediam, vel deniq; an in ultimam inciderit.

XCVIII.

Insuper quoq; Astrologus á Nato aliquot speciales casus & eventus in sua vita (ut facere præcipit *Ptolem. lib. 1 operis quadripart. text. 20*) exquirere, ad eos directiones exigere, & inde verum Ascendentem elicere poterit; ut taceam, observationem temporis nativitatis per Astrolabia, per Animodar & alias vias, quas tum Ptolomæus, tum alii Astrologi ad rectè definiendum nativitatis articulum offerunt, corrigi posse.

XCIX.

Interim mors in Astris in Themate natalitio in Directione nulla, nedum varia mortis genera. Conditio corporis est in libera hominis potestate relicta, quæ flammam vitæ juvenilibus annis opprimit, & senilibus deserit. Omnibus enim mori statutum est: illud si fit, plerunq; ex peccato actuali oritur, quod naturæ conatus impedit, & ad perniciem ante tempus ducit: hoc fit ex privatione remedii, eò quòd id, quod olim generi humano ante lapsum ad conservandam immortalitatem concessum est, è medio sublatum sit.

C.

Et tantùm de certioribus judicii natalitii fundamentis, de quibus qui plura gestit cognoscere, jubeo hunc adire luculentum *Commentarium Hieronymi Cardani in Tetrabiblon seu opus quadripartitum Ptolemai*; ut & *Partem primam Ephemeridum Origani*, in qua & γενεθλιαλογικὰ fusè tractantur: itemq; *Thomæ Campanellæ libros Astrologiæ decem* jam aliquoties à nobis citatos. Hanc enim ἑκατοντάδα Aphorismorum, quantum ad institutum nostrum attinet generale, hîc sufficere posse censeo.

LAUS EXCELSO DEO.

EPHEMERIS
MOTVVM COELESTIVM AD
Annum Incarnationis VERBI, juxta æram Dionyſianam, ſed quam Eccleſia in Occidente hodiè denominat
A NATIVITATE JESU CHRISTI
Domini Salvatoris noſtri
M. DC. LI.

Numerant autem ad hunc annum

Orientis & Græcæ Eccleſiæ Chriſtiani à Conditu rerum	7159
Judæi, Hebræi & Rabini recentiores	5411
Abyſsini & Ægyptii Chriſtiani ab æra Diocletiana ſeu Martyrũ	1367
Sarraceni & Turcæ ab Hegira ſeu fuga Muhammedis	1060
Aſtronomi, à Nabonaſſaro annos Ægyptiacos 365. dierum	2399
Ab obitu Alexandri Magni	1975
Eſtq; annus tertius à Biſextili, & ordinationis Julianæ	1695
Emendationis Gregorianæ 69, cujus Character eſt	
Periodus Scaligerana	6364

Ex quâ prodeunt

Cyclus Solis	8	Aureus numerus	18
Indictio Romana	4	Epactæ Julianæ	18
Ut & in Juliano		*In Gregoriano*	
Litera Dominicalis	E	Litera Dominicalis	A
Intervallum Hebd. 6. dier.	4	Intervallum Hebd. 8. dier.	0
		Epactæ Gregorianæ	8

Hoc anno ingreſſus Solis in quatuor puncta ſignorum Cardinalium ad Meridianum Uraniburgicum, & tempus Aſtronomicum & Julianum Stylum ita ſe habet:

♈ Die 10. Martij H. 2. M. 46.	♎ Die 12. Septembr. H. 20. M. 40.
♋ Die 11. Junij H. 5. M. 59.	♑ Die 11. Decembr. H. 8. M. 23.

De duabus Solis Eclipſibus anni Æ. C. 1651, quæ accident extra noſtrum Horizontem.

ETſi hoc anno nulla Eclipſis nobis futura ſit conſpicua, eò quod in omnibus interluniis diurnis & pleniluniis nocturnis Luna tantam obtineat Latitudinem, utnunquam metas deliquiorum nodosve ſuos aſſequatur, neque nobis hinc lumen Solis intercipere poſſit, inſuper etiam Luna in oppoſitione Solis nullibi ſub Ecliptica verſetur, & proinde nullam terræ umbram incurrat: Tamen certum eſt, quod populi nonnulli cis & ultra Æquatorem habitantes hoc anno bis, imò unius ſemeſtris intervallo, grandem defectionem Solis viſuri ſint, ſicut Calculus infra ſubjectus id confirmat. Nullum autem hoc anno continget Plenilunium Eclipticum quia duo Interlunia centralia unius ſemeſtris interſtitio, unum ante ⊙is Apogæum in Aprili, alterum poſt illud in Octobri, nullam Eclipſim ☽næ eo anno admittunt. Quemadmodum autem antehac duo Excellentiſsimi Mathematici, Dn. Bartholomæus Schultetus, Vir Conſularis Gőrlitzenſis, & Dn. David Origanus, Profeſſor olim Francofurtenſis, non ſolum Eclipſes Luminarium in noſtro Horizonte conſpicuas, ſed & aliis in terris remotiſſimis obvias diligenter Faſtis & Ephemeridibus ſuis ſupputatas inſeruerunt: Ita & ego laudabili ipſorum exemplo excitatus in hac tertiâ Ephemeridum parte omnes Eclipſes Luminarium, tùm quæ in noſtro Horizonte, tum quæ etiam alibi conſpicientur, ad calculum revocatas notavi & prænunciavi, eam ob cauſam, ut ſi fortè Aſtronomiæ cultores ac nautæ ad longè diſſitas regiones pervenerint, iſthic illarum incolis haſce Eclipſes prædicere, obſervare, indeque laudem venari poſſint. Nam tale quid ſuperioribus annis factum apparet ex lectione 20 cap. in part. 2. navigationis in Indiam Orientalem à Levino Hulſio publicatæ. Schemata autem Eclipſium extra noſtrum horizontem non adjeci, ne vel labore non adeò neceſſario Typothetam morarer, vel majore ſumptu emptorem onerarem. Sequitur igitur

Calculus prioris Eclipſis Solis ad diem 9. Aprilis ſt. vet.

Media ☌⊙ & ☽ accidit Uraniburgi tempore Aſtronomico d. 9. Aprilis St. Vet 16. hor. 56/8//. Intervallum inter veram & mediam ☌ ſubtr. eſt 6 hor. 5/48//. Tempus autem apparens veræ ☌ d. 9. Aprilis ſt. vet. 10. hor. 58/42// quo tempore Anomalia ⊙ invenitur 4. Sex. 51. gr. 14/59// Anomalia ☽ coæqv. 4 Sex. 34. gr. 27/43//. Loca Luminarium 0 Sex. 29 gr. 44/56//. Argumentum Latitud. ☽ 0 Sex. 0 gr. 36/10// Hinc Latit. ☽ vera Septentr. Aſc. 0 gr. 3/9//. Quia verò hæc ☌ ob poſitum Luminarium infra Horizontem nobis Ecliptica eſſe nequit, ideoq; inveſtiganda ſunt hujusmodi loca, in quibus vera ☌ cum viſa in 90 Eclipticæ gradu concurrit, qualia illis occurrent, qui tunc pernavigabunt Archipelagum Americanum & Mare Pacificum, præſertim illum tractum, qui interjacet Æquatorem & Tropicum Cancri inter, ſubjacet Longitudini 231 gr 5/. Latitudini verò Septentr. 14 gr. Illic enim Luminaria 4. min. ante meridiem in 90 gradu verſabuntur: Quippe datur adhoc tempus altitudo ⊙ 87 gr. 25/. Parall.

☉ o/8 //. Parall. alt. ☽ à ☉ & Latitud. in Austrum vergens 2/ 39 //. Proinde Latitudo ☽ visa relinquitur Sept. o/30//. Cumq; Sd. ☉ detur 15. 9. Sd. ☽ 16. 13. Aggregatum SSdd. 31. 22. remanet Pars deficiens 30. 51. Prodeunt igitur Digiti Ecliptici 12. 0/ 13//. Hinc apparet Eclipsin hanc fore centralem & totalem horribilemq; aspectu. Durationis autem tempus colligitur ex Parallaxi Longit. ☽ ad 1. horam ante ☌ visam, quæ hîc datur 11/ 45// & ex motu ☽ horario viso 18/44//. Nam ex iis emergit tempus inciden. 1. hor. 40/ 27 // totaque duratio 3 hor. 20/ 54//. Cæterùm grandis quoque erit hæc Eclipsis ☉is apud accolas maritimæ Mexicanæ, & in illis locis, quæ sita sunt ad caput Sinumq; Californiæ. in Insulis Infortunatis seu de los Tubarones, Lavezina, los Mangos, in Rocca, Partida & Insulis de Zalisco.

Calculus posterioris Eclipsis ☉is ad diem 4. Octob. st. Vet.

Media Luminarium ☌ cadet Uraniburgi tempore Astronomico in d. 3. Octobr. st. vet. 21. hor. 20/27 // Intervallum inter veram & mediam ☌ add. est 5. hor. 14/ 29//. Tempus apparens igitur veræ ☌ erit d. 4 Octobr. St. Vet. 2. hor. 41/20// quo tempore invenitur Anomalia ☉ 1. Sex. 45. gr. 20/ 52// Anomalia ☽ coæqv. 1 Sex. 10. gr. 33/40//. Locus Luminarium verus in 20 gr. 59/28// ♎. Argumentum Latitud. ☽ 3 Sex. 1. gr. 15/27//. Latit. ☽ vera Merid. Asc. o gr. 6/35// Apud nos autem hæc Eclipsis non apparebit, ob Latitudinem & Parallaxin Latitudinis ☽ nimis in Austrum excurrentes, & aggregatum SSdd. Luminarium excedentes. Illis autem in Locis ☉ totus obscurabitur, qui subjacent Longitudini loci 353 gr. 34/ & Latitudini Australi 15 gr. quo spectant quædam loca in Brasilia Australi, sub hac elevatione Poli & Longitudine comprehensa, & quæ his vicina sunt, in Pernambico, ad Caput S Augustini, & in Americæ Australis seu Peruvianæ locis. Sub præfatâ verò Latitudine Meridionali & Longitudine vera & visa Luminarium ☌ in 90 Eclipticæ gradu per 11/ 24// ante meridiem præcisè concurret: Hæc enim loca sunt per 2 hor. 52/ 44// temporis Uraniburgo Occidentaliora, & invenitur tunc maxima Altitudo ☉ inibi 83 gr. 13/ ex quâ provenit Parall. ☉ o/ 21//. Parall. altitud. ☽ á ☉ & simul Latitudinis, quæ in Septentrionem projicitur 6/ 51// Visa Latit. ☽ Bor. o/16//. Sd. ☉ 15. 18. Sd. ☽ 15. 53. Aggregatum SSdd. 31. 11. Pars deficiens 30. 55. Proinde hæc ☌ Luminarium erit centralis & integer discus ☉ is obscurabitur; Quippe eliciuntur digiti Ecliptici 12. o/ 7//. Ad cognoscendum autem tempus durationis requiritur Parallaxis Longitudinis ☽ ad unam horam antè ☌ veram ac visam Luminarium, quæ colligitur primò ex Distant. polor. & Horizontis 75 gr. o/. Secundò ex Complemento Declinat. Luminar. 81. gr. 40/. Tertiò ex Distantia eorundem à medio Cœli 17 gr. 51/. Siquidem ex hisce datis initiò provenit Altitudo ☉is 71 gr. 16/. Parall. ☉ o/59// Parall. altit. ☽ à ☉ 18/37// & denique ipsa quæsita Parall. Longitud. ☽ 13/10//. Datur insuper motus horarius ☽ verus 29/28// visus 18/3// Scrupula casus 31/12//. Hinc innotescit tempus incidentiæ 1. hor. 54/47// & totius durationis 3 hor. 49/31//. Utinam hisce in locis Astronomiæ periti vigilarent, & hujus Eclipsis initium, progressum & finem debitâ diligentiâ observarent, ita enim Longitudo locorum emendari, & certitudo Longitudinis Luminarium probari possent.

Stylo Veteri.	Stylo Novo.	♄		♃		♂		☉	♀		☿		☽		☊
JANUARII		Motus Planetarum							Anno 1651.						
		Long.	La	Long.	La	Long	La	Longitud.	Long.	La	Long.	La	Long.	Latit.	Long.
		♋ G.M.	M D O	♐ G.M.	S D O	♎ G.M.	S D 2	♑ G.M.S.	♓ G.M.	S A 1	♑ G.M.	M A 1	♍ G.M.	S D G.M.	♉ G.M.
										47					
1	11	10 36	27	2 54	48	11 21	23	21 21 0	0 23	2	15 29	41	12 6	3 58	2 37
2	12	10 31	27	3 5	48	12 43	24	22 22 15	0 47	2	17 6	44	24 26	3 16	2 52
3	13	10 26	27	3 16	48	13 5	25	23 23 29	1 10	15	18 43	48	6 ♎ 57	2 21	3 19
4	14	10 21	27	3 26	48	13 26	25	24 24 42	1 32	34	20 21	51	19 48	1 17	3 56
										50					
5 ☉	15	10 16	27	3 37	48	13 47	26	25 25 54	1 52	3	21 59	54	3 ♏ 0	0 M 9	4 36
6	16	10 12	27	3 47	48	14 8	27	26 27 6	2 9	6	23 38	57	16 36	1 2	5 13
												59			
7	17	10 7	27	3 58	48	14 28	28	27 28 17	2 25	19	25 17	2	0 ♐ 39	2 12	5 39
8	18	10 2	27	4 9	48	14 48	29	28 29 27	2 40	30	26 57	1	15 8	3 14	5 46
9	19	9 57	27	4 19	48	15 7	30	29 30 36	2 54	39	28 40	3	29 59	4 6	5 29
10	20	9 53	27	4 29	48	15 26	31	0 ♒ 31 45	3 6	48	0 ♒ 18	4	15 ♑ 9	4 42	4 49
										57					
11	21	9 48	26	4 39	48	15 44	32	1 32 53	3 16	4	1 59	5	0 ♒ 25	4 D 58	3 55
12 ☉	22	9 44	26	4 49	48	16 2	32	2 34 0	3 23	7	3 41	6	15 37	4 52	3 0
												-D-			
13	23	9 39	26	4 59	48	16 20	33	3 35 6	3 27	19	5 23	5	0 ♓ 33	4 27	2 17
14	24	9 35	26	5 9	48	16 37	34	4 36 11	3 28	33	7 6	4	15 6	3 44	1 56
									Retr	48					
15	25	9 31	26	5 19	48	16 54	35	5 37 15	3 27	5	8 49	2	29 ♈ 10	2 49	1 57
16	26	9 27	26	5 28	48	17 10	36	6 38 18	3 23	3	10 33	0	12 45	1 47	2 17
												1			
17	27	9 23	25	5 37	48	17 26	36	7 39 20	3 17	18	12 17	57	25 ♉ 52	0 S 39	2 50
18	28	9 19	25	5 46	48	17 42	37	8 40 20	3 8	33	14 2	54	8 36	0 28	3 28
										47					
19 ☉	29	9 15	25	5 55	49	17 57	38	9 41 19	2 57	6	15 48	51	20 ♊ 56	1 31	4 4
20	30	9 11	25	6 3	49	18 12	39	10 42 16	2 43	0	17 34	48	3 3	2 29	4 35
21	31	9 7	25	6 12	49	18 26	40	11 43 12	2 27	13	19 21	45	15 0	3 21	4 55
	Feb														
22	1	9 3	25	6 21	49	18 40	40	12 44 6	2 9	26	21 9	41	26 52	4 2	5 1
23	2	9 0	24	6 30	49	18 53	41	13 44 59	1 48	39	22 58	36	8 ♋ 43	4 32	4 53
24	3	8 56	24	6 38	49	19 6	42	14 45 50	1 24	51	24 48	29	20 36	4 53	4 30
										-7-					
25	4	8 53	24	6 47	49	19 18	43	15 46 39	0 58	3	26 39	22	2 ♌ 33	4 D 59	3 55
26 ☉	5	8 49	24	6 55	49	19 30	44	16 47 27	0 30	14	28 29	14	14 35	4 52	3 12
27	6	8 45	24	7 3	49	19 41	44	17 48 13	0 ♒ 0	25	0 ♓ 18	5	26 ♍ 46	4 32	2 26
28	7	8 42	24	7 11	49	19 52	45	18 48 58	29 29	35	2 5	0	9 3	3 59	1 46
												55			
29	8	8 39	23	7 19	49	20 2	46	19 49 42	28 57	44	3 50	45	21 ♎ 29	3 14	1 17
30	9	8 36	23	7 28	49	20 12	47	20 50 25	28 24	53	5 33	35	4 3	2 19	1 4
										-8-					
31	10	8 33	23	7 35	49	20 21	48	21 51 7	27 50	2	7 13	24	16 48	1 17	1 8

Stylo Veteri.	SYZYGIÆ LUNARES. ♄ Occid.	♃ Orient	♂ Orient	☉	♀ Occid.	☿ Orient	Syzygiæ Planetarum Mutuæ.	Stylo Novo.
1 Ianuarij. 2		✱ 17.		△ 19.		△ 7.	Oct. ♃☿.	11 Ianuarij. 12
3 4 Telesphor.	□ 6.		☌ 11.	□ 9. 5.	△ 22.	□ 1		13 Hilarius 14 Felix
5 E. Simeon. 6 Epiphania	△ 13.			✱ 18.		✱ 13.	Dec. ☉♀. ☽☋.	15 A. 2.p.Epip 16 Marcell.
7 Iuliana 8 Erhardus		☌ 5.	✱ 23.		□ 3.		Bq. ♄♃.	17 Antonius 18 Prisca
9 10 Paul. Erem.	☍ 16		□ 1.		✱ 5.	Occid.	☌ ☉☿ 8.	19 20 Fab. Seb.
11 Hyginus 12 E. 1.p.Epiph.		✱ 7.	△ 1	☌ 1. 45.		☌ 3.	SS. ♀☿ ✱♃☿ 18. Td ♂☿	21 Agneta 22 A. 3.p.Epip
13 Hilarius 14 Felix	△ 15.	□ 7.			☌ 5.		SS. ☉♀. (♂☉. ✱♃☉ 15. Td.	23 24 Timotheus
15 16 Marcell.	□ 18.	△ 11.	☍ 8.	✱ 12.		✱ 19.	Vc. ♄☿.	25 Conv. Paul. 26 Polycarp.
17 Antonius 18 Prisca	✱ 1.			□ 0. 8.	✱ 14.	□ 12	☽☊ Vc. ♄☉. Bq. ♄☿.	27 28
19 E. 2.p.Epiph. 20 Fab. Seb.		☍ 6.		△ 17.	□ 23.		△♂☿. 10. Q. ♃☿	29 A. 4. p. Ep. 30 Adelgunda.
21 Agneta 22 Vincent.			△ 8		△ 10.	△ 9		31 1 Februarij
23 24 Timoth.	☌ 0.		□ 21.				Bq. ♄ ☉. Sq. ♄☿	2 Purif. Mar. 3 Blasius
25 Conv. Paul. 26 E. Septuag.		△ 8.	✱ 10.	☍ 4. 44.			☌♀☿. 21.	4 5 A. Septuag.
27 28	✱ 23.	□ 20			☍ 6	☍ 7	Q. ♃☉	6 Dorothea 7
29 30 Adelgunda	□ 8	✱ 6.					△♂☉ 5. Sq. ((♂☿.	8 9 Apollonia
31			☌ 7	△ 10	△ 19		△♄☿ 19. □♃☿ 6	10 Scholastica.

Stylo Veteri.	Stylo Novo.	♄ Long.	♄ La	♃ Long.	♃ La	♂ Long.	♂ La	☉ Longitudo	♀ Long.	♀ La	☿ Long	☿ La	☽ Longit.	☽ Latitu	☊ Long.
		♋ G. M.	M D o.	♐ G. M.	S D o	♎ G. M.		♒ G. M. S.	♒ G. M.	S A 8	♓ G. M.	M D o	♎ G. M.	S G D M.	♉ G. M.
1	11	8 30	23	7 43	49	20 30	[illegible]	22 51 47	27 15	9	8 49	11	29 ♏ 47	0 10	1 28
2 ☉	12	8 27	23	7 50	49	20 38	49	23 52 25	26 39	15	10 21	S 3	12 57	0 M 59	2 3
3	13	8 25	23	7 57	49	20 45	49	24 53 1	26 3	19	11 49	17	26 27	2 8	2 43
4	14	8 22	23	8 4	49	20 51	50	25 53 35	25 26	23	13 12	30	10 ♐ 18	3 9	3 24
5	15	8 20	22	8 11	49	20 57	50	26 54 6	24 48	27	14 30	42	24 30	4 2	3 57
6	16	8 18	22	8 17	49	21 2	51	27 54 35	24 12	30	15 43	55	9 ♑ 3	4 39	4 12
7	17	8 16	22	8 24	50	21 6	51	28 55 2	23 36	32	16 51	1	23 ♒ 53	4 D 59	4 5
8	18	8 14	22	8 31	50	21 9	52	29 55 28	23 2	33	17 54	8	8 52	4 59	3 34
												21			
9 ☉	19	8 12	22	8 37	50	21 11	52	0 ♓ 55 53	22 29	33	18 52	34	23 ♓ 50	4 39	2 46
10	20	8 10	22	8 43	50	21 12	53	1 56 16	21 57	32	19 44	47	8 40	3 59	1 50
11	21	8 8	22	8 49	50	21 13 Retr.	53	2 56 37	21 26	29	20 28	2	23 ♈ 12	3 5	1 2
12	22	8 6	21	8 55	50	21 13	54	3 56 56	20 57	26	21 3	1 14	7 18	2 0	0 30
13	23	8 5	21	9 1	50	21 12	55	4 57 13	20 29	22 D	21 28	27	20 ♉ 57	0 S 50	0 20
14	24	8 3	21	9 6	50	21 11	55	5 57 28	20 3	18	21 44	40	4 10	0 19	0 28
15	25	8 2	21	9 11	50	21 9	56	6 57 41	19 39	14	21 50 Retr.	53	16 57	1 27	0 52
16 ☉	26	8 1	21	9 16	50	21 6	56	7 57 52	19 18	9	21 44	3 4	29 23	2 29	1 26
17	27	8 0	21	9 21	50	21 2	57	8 58 1	18 59	2 7	21 28	13	11 ♊ 32	3 22	2 2
18	28	7 59	20	9 26	50	20 58	57	9 58 8	18 42	56	21 3	21	23 29	4 5	2 37
	Mar											D			
19	1	7 58	20	9 30	50	20 53	58	10 58 14	18 27	49	20 28	28	5 ♋ 19	4 38	3 5
20	2	7 57	20	9 34	51	20 47	59	11 58 18	18 14	41	19 44	34	17 9	4 57	3 22
21	3	7 56	20	9 38	51	20 40	59	12 58 20	18 3	32	18 51	38	29 ♌ 3	5 D 7	3 25
22	4	7 55	20	9 42	51	20 33	3 0	13 58 20	17 55	22	17 50	39	11 1	5 1	3 15
23 ☉	5	7 55	20	9 46	51	20 25	0	14 58 17	17 50	12	16 43	36	23 ♍ 10	4 42	2 49
24	6	7 54	19	9 49	51	20 16	1	15 58 11	17 49 Dir.	3	15 31	31	5 30	4 11	2 10
										6					
25	7	7 54 Dir.	19	9 53	51	20 7	1	16 58 3	17 51	54	14 23	24	18 1	3 25	1 24
26	8	7 54	19	9 56	51	19 57	1	17 57 53	17 55	44	13 21	15	0 ♎ 44	2 30	0 ♈ 38
27	9	7 54	19	9 59	51	9 47	0	18 57 41	18 1	33	12 24	4	13 38	1 25	29 59
28	10	7 55	19	10 2	51	9 36	0	19 57 27	18 8	23	11 30	2 52	26 43	0 16	29 35

Stylo Veteri.	SYZYGIÆ LUNARES. ♄ Occid.	♃ Orient	♂ Orient	☉	♀ Occid.	☿ Occid.	Syzygiæ Planetarum Mutuæ	Stylo Novo.
1 Februarii.	△ 16					△ 18	Sq. ♄☉. ☽☋.	11 Februarii
2 E.Sex.P.M.				□ 10.57	□ 23			12 A Sexag.
3 Blasius.		☌ 20			Orient		☌☉♀ 17.	13
4			✱ 18			□ 5		14 Valentin.
5 Agatha.	☍ 23			✱ 4	✱ 0		Bq. ♂☿	15 Faustin.
6 Dorothea.			□ 19			✱ 11	Vc. ♄ ♃	16 Julian.
7		✱ 23					Sq. ♄♀	17
8			△ 20		☌ 22		☿in digr.max.à☉e.	18 Concord.
9 E Esto mihi.	△ 23			☌ 12.15				19 A.Quinqg.
10 Scholastica.		□ 0				☌ 19	Td. ♄☿ (Q.♃♀	20
11							△♂♀10. SS.♀☿.(	21
12 Cinerum.	□ 1	△ 3			✱ 23			22 Cinerum.
13			☍ 0				☽ ☊	23
14 Valentin.	✱ 7			✱ 3			Sq.♂☉	24 Matthias
15 Faustin.					□ 5	✱ 9		25
16 E. Invocav.		☍ 19		□ 18.29			△♄☉ 1.	26 A.Invocav
17			△ 21		△ 14	□ 19	□♃☉ 10	27
18 Concordia.								28 Romanus
19	☌ 5			△ 12			Td.♄☿	1 Martii.
20			□ 7			△ 2		2 Simplicius
21		△ 21					SS ♀☿	3
22 Cath.Petr.			✱ 18		☍ 13		Bq. ♂☉	4 Adrianus
23 E.Reminisc.						Orient	☌ ☉☿ 19.	5 A Reminisc
24 Matthias.	✱ 4	□ 8		☍ 21. 49		☍ 17		6 Fridelin.
25							B4 ♂☿	7 Perpetua
26	□ 13	✱ 17					SS. ☉♀	8
27			☌ 11		△ 8		Vc.♂☉. Td.♄☉.	9
28 Romanus.	△ 20						☽☋	10

Stylo Veteri.	Stylo Novo.	♄ Long. ♋ G. M.	♄ La M D o	♃ Long. ♐ G. M.	♃ La S D o	♂ Long. ♎ G. M.	♂ La S D 2	☉ Longit. ♓ G. M. S.	♀ Long. ♒ G. M.	♀ La S D 6	☿ Long. ♓ G. M	☿ La S D 2	☽ Long. ♏ G. M.	☽ Latit. M A G. M	☊ Long. ♈ G. M.
1	11	7 55	19	10 5	51	19 25	59	20 57 11	18 17	13	1 39	40	9 59	0 55	29 30
2 ☉	12	7 56	19	10 8	51	19 13	58	21 56 53	18 28	3 -S	90 52	28	23 25	2 6	29 44
3	13	7 57	19	10 10	51	19 1	58	22 56 32	18 41	53	9 9	15	6 ♐ 56	3 9	0 ♉ 14
4	14	7 58	19	10 12	51	18 48	57	23 56 9	18 56	42	8 38	2 -1	20 52	4 3	0 54
5	15	7 59	18	10 14	51	18 34	56	24 55 44	19 13	32	7 58	48	4 ♑ 54	4 43	1 37
6	16	8 0	18	10 16	52	18 19	55	25 55 17	19 32	21	7 30	32	19 9	5 6 D	2 14
7	17	8 1	18	10 18	52	18 3	55	26 54 48	19 53	10 4	7 9	16	3 ♒ 28	5 11	2 36
8	18	8 2	18	10 20	52	17 46	54	27 54 17	20 16	59	6 57	1 0-	18 6	4 55	2 37
9 ☉	19	8 3	18	10 21	52	17 29	53	28 53 44	20 40	49	6 Dir 55	46	2 ♓ 29	4 21	2 15
10	20	8 4	18	10 22	52	17 11	52	29 53 9	21 6	39	7 2	31	17 2	3 29	1 34
11	21	8 5	18	10 23	52	16 53	51	♈ 0 52 32	21 34	29	7 16	16	1 ♈ 16	2 27	0 ♈ 42
12	22	8 6	17	10 24	52	16 34	50	1 51 53	22 4	18	7 36	2 -M	15 18	1 16	29 51
13	23	8 8	17	10 24	52	16 15	50	2 51 12	22 35	8 3	7 59	10	28 ♉ 53	0 S 2	29 11
14	24	8 10	17	10 25	52	15 56	49	3 50 28	23 8	58	8 25	22	12 5	1 9	28 50
15	25	8 12	17	10 Retr. 25	52	15 37	48	4 49 41	23 42	48	8 53	34	24 ♊ 54	2 16	28 46
16 ☉	26	8 14	17	10 25	52	15 17	47	5 48 51	24 18	38	9 24	46	7 23	3 13	29 0
17	27	8 16	17	10 25	52	14 57	45	6 47 59	24 55	28	9 58	57 1	19 ♋ 35	4 2	29 25
18	28	8 18	17	10 24	52	14 36	44	7 47 5	25 33	19	10 37	7	1 34	4 38	29 58
19	29	8 20	17	10 24	52	14 15	41	8 46 9	26 12	10	11 20	16	13 26	5 2	0 ♉ 34
20	30	8 22	16	10 23	52	13 54	39	9 45 11	26 51	1 -2	12 6	25	25 15	5 14 D	1 7
21	31	8 24	16	10 22	52	13 32	38	10 44 11	27 31	51	12 55	34	7 ♌ 9	5 13	1 34
22	April 1	8 27	16	10 21	52	13 11	36	11 43 9	28 12	41	13 48	43	19 7	4 57	1 49
23 ☉	2	8 30	16	10 20	52	12 49	35	12 42 5	28 54	31	14 44	51	1 ♍ 19	4 27	1 50
24	3	8 33	16	10 18	52	12 27	33	13 40 59	29 38	22	15 43	58 2-	13 45	3 45	1 35
25	4	8 36	16	10 16	52	12 5	31	14 39 51	0 ♓ 23	14	16 45	5	26 ♎ 27	2 51	1 4
26	5	8 39	16	10 14	52	11 42	29	15 38 41	1 9	5 1-	17 50	12	9 26	1 47	0 19
27	6	8 42	15	10 12	52	11 19	27	16 37 29	1 56	56	18 58	18	22 ♏ 41	0 M 36	29 ♈ 29
28	7	8 45	15	10 10	52	10 56	25	17 36 14	2 44	48	20 8	23	6 11	0 38	28 43
29	8	8 48	15	10 8	52	10 34	23	18 34 57	3 32	40	21 20	27	19 ♐ 53	1 51	28 10
30 ☉	9	8 51	15	10 6	52	10 12	21	19 33 38	4 21	32	22 34	30	3 45	3 0	27 57
31	10	8 54	15	10 3	53	9 50	19	20 32 17	5 10	24	23 49	33	17 4	3 57	28 4

Stylo Veteri.	SYZYGIÆ LUNARES. ♄ Occid	♃ Orient	♂ Orient	☉	♀ Orient	☿ Orient	Syzygiæ Planetarum Mutuæ.	Stylo Novo
1 Martii. 2 E.Oculi.				△ 21	□ 15.	△ 1	□ ♃☿ 18	11 Martii. 12 A. Oculi.
3 4 Adrianus		☌ 5	⚹ 20	□ 5 38	⚹ 20	□ 3	△ ♂♀ 17	13 Euphrasia. 14
5 6 Fridelin.	☍ 5		□ 22	⚹ 12		⚹ 5	△ ♄☿ 1. Dec. ☉♀.	15 16 Cyriacus.
7 Perpetua. 8		⚹ 11	△ 23		☌ 4		Td. ♃☉.	17 Gertrud. 18
9 E. Lætare 10	△ 9	□ 13		☌ 23 18		☌ 7		19 A Lætare. 20
11 12 Gregori⁹	□ 12	△ 15	☍ 2		⚹ 12		Q. ♃♀.	21 Benedict. 22
13 Euphrasia 14	⚹ 17				□ 21	⚹ 17	△♄☿7. Sq. ♄♀. ☽☊.	23 24
15 16 E. Judica		☍ 6	△ 15	⚹ 20		□ 4	Bq. ♂☿.	25 Annũ. Mar 26 A. Judica
17 Gertrud 18	☌ 13			□ 13.42	△ 11	△ 19	♃ stat in □☿. □♄☉ 13.	27 28
19 Josephus 20			□ 2				△♃☉ 15.	29 Eustach. 30 Guido-
21 Benedict. 22		△ 6	⚹ 13	△ 8	☍ 19		Vc. ♂☿. Sq. ♂♀.	31 1 Aprilis.
23 E. Palmar. 24	⚹ 14	□ 21	Occid			☍ 4	☍♂☉ 2. ☿ in elõg. (max. à ☉.	2 A. Palmarũ 3
25 Anũ Mar. 26 Castulus	□ 22	⚹ 1	☌ 4	☍ 12 9				4 Ambrosius. 5
27 28	△ 4				△ 17		☽☋. Oct. ☉♀. Td. ♄☿.	6 7 E gesippus.
29 Eustach. 30 E. Pascha		☌ 11	⚹ 11		□ 1	△ 3	Bq. ♂♀. ⚹♃♂ 7.	8 9 A. Pascha.
31				△ 5		□ 11		10

APRILIS — Motus Planetarum — Anno 1651.

10 Stylo Veteri.	Stylo Novo.	♄ Long. ♋ G. M.	La M D 0	♃ Long. ♐ G. M.	La S D 0	♂ Long ♎ G M.	La S D 2	☉ Longitud. ♈ G. M. S.	♀ Long. ♓ G. M.	La S D 1	☿ Long. ♓ G. M.	La M A 2	☽ Long. ♑ G M	☽ Latit. M G A M	☊ Long. ♈ G. M.
1	11	8 58	15	10 0	53	9 29	17	21 30 54	6 0	16	25 6	35	1 47	4 41	28 30
2	12	9 2	15	9 57	53	9 8	15	22 29 29	6 51	9	26 25	37	15 53	5 8	29 9
3	13	9 6	15	9 54	53	8 48	13	23 28 2	7 43	2 0	27 47	38	29 ♒ 59	5 D 17	29 53
4	14	9 9	14	9 51	53	8 28	11	24 26 33	8 36	54	29 11	40	14 8	5 6	0 ♉ 32
5	15	9 13	14	9 47	53	8 9	9	25 25 2	9 30	47	0 ♈ 37	41	28 ♓ 15	4 38	0 59
6 ☉	16	9 17	14	9 43	53	7 50	6	26 23 29	10 25	39	2 6	41	12 19	3 49	1 6
7	17	9 21	14	9 39	53	7 32	4	27 21 54	11 19	32	3 37	40	26 ♈ 17	2 53	0 53
8	18	9 25	14	9 35	53	7 14	2	28 20 17	12 14	26	5 9	39	10 5	1 44	0 19
9	19	9 29	14	9 30	53	6 56	0	29 18 38	13 8	19	6 43	37	23 ♉ 41	0 S 31	29 ♈ 32
10	20	9 33	14	9 26	53	6 39	1 57	0 ♉ 16 57	14 3	12	8 18	35	7 2	0 43	28 42
11	21	9 38	14	9 21	53	6 22	54	1 15 14	14 58	6 M	9 54	33	20 ♊ 3	1 53	27 58
12	22	9 43	14	9 16	53	6 6	51	2 13 29	15 54	0	11 32	31	2 48	2 55	27 25
13 ☉	23	9 47	13	9 11	53	5 50	49	3 11 43	16 51	6	13 12	28 D	15 16	3 48	27 12
14	24	9 52	13	9 6	53	5 35	46	4 9 55	17 49	12	14 54	24	27 29	4 30	27 14
15	25	9 57	13	9 0	53	5 21	44	5 8 5	18 47	18	16 38	18	9 ♋ 30	4 58	27 30
16	26	10 2	13	8 55	53	5 8	41	6 6 13	19 45	24	18 24	12	21 23	5 14	27 58
17	27	10 7	13	8 50	53	4 56	39	7 4 19	20 44	31	20 12	6 1	3 ♌ 13	5 D 17	28 31
18	28	10 12	13	8 44	53	4 45	36	8 2 23	21 43	37	22 3	59	15 4	5 5	29 6
19	29	10 17	13	8 39	53	4 35	34	9 0 25	22 43	41	23 56	52	27 ♍ 3	4 41	29 39
20 ☉	30	10 22	13	8 33	53	4 26	31	9 58 25	23 43	46	25 51	45	9 13	4 3	0 ♉ 4
21	Maj 1	10 27	13	8 27	53	4 18	29	10 56 24	24 44	50	27 48	38	21 ♎ 40	3 13	0 17
22	2	10 32	12	8 21	53	4 10	26	11 54 22	25 44	55	29 48	27	4 27	2 13	0 13
23	3	10 37	12	8 15	53	4 3	24	12 52 18	26 45	59 1	1 ♉ 50	16	17 ♏ 35	1 M 5	29 ♈ 50
24	4	10 43	12	8 9	53	3 56	21	13 50 13	27 46	4	3 54	6	1 5	0 9	29 10
25	5	10 48	12	8 3	53	3 50	19	14 48 6	28 47	8	6 0	0 58	14 56	1 25	28 19
26	6	10 54	12	7 57	53	3 45	16	15 45 57	29 48	12	8 8	50	29 4	2 36	27 28
27 ☉	7	10 59	12	7 50	53	3 41	14	16 43 46	0 ♈ 50	16	10 17	41	13 ♐ 25	3 40	26 49
28	8	11 5	12	7 44	53	3 37	11	17 41 33	1 52	20	12 26	31	27 53	4 28	26 25
29	9	11 11	12	7 37	53	3 34	9	18 39 18	2 54	24	14 36	21	12 ♑ 21	5 1	26 27
30	10	11 17	12	7 30	53	3 32	6	19 37 2	3 57	27	16 45	11	26 46	5 14	26 49

Stylo Veteri.	SYZYGIÆ LUNARES. ♄ Occid.	♃ Orient	♂ Occid.	☉.	♀ Orient	☿ Orient	Syzygiæ Planetarum Mutuæ.	Stylo Novo.
1 Aprilis. 2 Mar. Ægyp.	☍ 12.		□ 13.	□ 12. 4.	✱ 7.	✱ 20.	□♄♂ 6.	11 Aprilis. 12 Julius.
3 4 Ambrosius.		✱ 17.	△ 14.	✱ 19.			Td ♃☿. Vc. ♂♀. △♄♀ 15. Sq. ♃☉	13 Justinus. 14 Tiburtius.
5 6 E. Quasim.	△ 18.	□ 21.			☌ 20.		□♃♀ 7.	15 Olymp. 16 A. Quasimod
7 Egesippus. 8	□ 23.	△ 23.	☍ 19.			☌ 14.	Q. ♄☉. (☽☊.	17 18 Valerian.
9 10	✱ 4.			☌ 10. 50.	✱ 14.		☍♂☿ 3. Vc. ♄♃(△♃☿ 16. □♄☿ 20	19 20
11 12 Julius.		☍ 12.	△ 6.			✱ 19.		21 22
13 E. Misc. D. 14 Tiburtius			□ 16.	✱ 14.	□ 3.		Bq. ♃☉.	23 A. Misc. Dom 24 Albertus.
15 Olymp. 16	☌ 0.				△ 20.	□ 17.	Vc. ♂☉. ♀ in e- long. max. à ☉e.	25 Marcus. 26
17 18 Valerian.		△ 11.	✱ 3.	□ 8. 29.		△ 16.	Td. ♄♀. SS. ♀☿. Vc. ♃☉. Sq. ♃☿.	27 Anastas. 28 Vitalis.
19 20 E. Jubilate	✱ 2.	□ 22.		△ 1.			(♂☉ ✱♄☉ 11. Bq. (	29 30 A. Jubilate.
21 22	□ 11.	✱ 7.	☌ 23.		☍ 6.		Q. ♄☿. Td. ♃♀.	1 Maij Phil. Jac 2
23 Georgius. 24 Albertus.	△ 17.			☍ 23. 45.		☍ 5.	Dec. ♀☿. Bq. ♃☿(Vc. ♂☿. (☽☋.	3 Invent. Cruc. 4 Florianus.
25 Marcus. 26		☌ 15.	✱ 8.		△ 1.		Vc. ♃☿. Bq. ♂☿.	5 Gothard. 6 Joan. an. por.
27 E. Cantate 28 Vitalis	☍ 22.		□ 9.		□ 7.		✱♄☿ 7. Sq. ♂☉.	7 A. Cantate. 8 Stanislaus.
29 30		✱ 18.	△ 11.	△ 11.	✱ 7.	△ 4.	☍♂♀ 15. Sq. ♂☿.	9 10

Stylo Veteri.	Stylo Novo.	♄ Long.	La	♃ Long	La	♂ Long.	L.	☉ Longitudo	♀ Long.	La	☿ Long.	La	☽ Long.	Latit.	☊ Long.
		♋ G. M	M D o	♐ G.M.	S D o	♎ G. M.	S D 1	♉ G.M.S.	♈ G M	M A 1	♉ G. M.	M D o	♒ G. M.	M G D M	♈ G. M.
1	11	11 22	11	7 23	53	3 31	4	20 34 45	5 0	31	18 54	1	10 59	5 8	27 26
2	12	11 28	11	7 16	53	3 31 Di	1	21 32 27	6 3	34	21 3	S 11	25 3	4 43	28 10
3	13	11 34	11	7 8	52	3 31	0 59	22 30 8	7 6	37	23 11	21	8 ♓ 57	4 2	28 50
4 ⊙	14	11 40	11	7 0	52	3 31	57	23 27 47	8 10	40	25 18	30	22 39	3 8	29 20
5	15	11 46	11	6 52	52	3 32	55	24 25 24	9 14	43	27 24	39	6 ♈ 10	2 4	29 33
6	16	11 52	11	6 45	52	3 34	53	25 23 0	10 19	46	29 30	48	19 31	0 53	29 27
7	17	11 58	11	6 38	52	3 37	50	26 20 35	11 23	49	1 ♊ 35	56	2 ♉ 42	0 S. 18	29 2
8	18	12 4	11	6 31	52	3 41	48	27 18 9	12 28	51	3 40	1 4	15 40	1 28	28 21
9	19	12 11	11	6 24	52	3 46	46	28 15 42	13 32	54	5 45	12	28 26	2 33	27 35
